



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis  
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis  
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios  
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

**Reiser, Anton**

**Francofvrti, 1678**

Lib. V. cap. 9. & 11. de operibus Infidelium

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

cap. 30. sunt, quid se jactant in opere proprio? In Enchiridio ad Laurentium, cum laudatam modò Petri sententiam citasset, subjunxit: *Quæ cum vera sit, qualis quæso possit esse servi addicti libertas, nisi quando cum peccare delectat? liberaliter enim servit, qui Domini sui voluntatem facit libenter, atque per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad justè faciendum liber non erit, nisi liberaatus à peccato caperit esse iustitia servus.* Et paucis interjectis, *libertas ad bonè faciendum unde erit homini ad dicto & vendito, nisi redimat illa, cujus vox est, si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis? Quod ante-quàm fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio gloriatur in opere bono, qui nondum liber est ad operandum bonè, nisi se vanà inflatus superbia extollat &c.* Et in opere contra Julianum imperfecto, *Fides Catholica bonam, sed mutabilem creaturam tamen in deterius voluntate, ac per hoc depravatà suà vitiataque naturà, non sub alienà substantia, sed sub peccato suo ream dicit serviliter detineri.* His subjungit Jansenius, Talibus testimoniis Augustinus est plenus, hoc semper significantibus, Arbitrium peccati obnoxium non solum suppliciorum esse reum, quod Pelagiani, maximeque *Julianus*, libentissimè facebantur, sed (etiam) serviliter sub peccato, hoc est, sub cupiditate seu concupiscentia peccati (Ita loquitur vi hypotheseos receptæ) comite & supplicio detineri, ita ut à peccandi desiderii & adfectibus se liberare non possit. Quà de causà ibidem in eodem opere imperfecto ait Augustinus Julianum adloquens, *Nega, si potes eos, quibus dixit Apostolus, cum essetis servi peccati, liberi fuistis iustitiæ, habuisse liberam in bonis voluntatem, quando fuerunt servi peccati.* Hæc ex Augustino Jansenius, quæ possunt in præsens sufficere ad Lutheri defensionem.

LIBRI QVINTI,  
CAPUT NONUM & UNDECIMUM,

De

QUÆSTIONE,

*An possit homo sine Fide cum auxilio speciali, & sine illo etiam bonum aliquod morale, si nulla urgeat tentatio, perficere?*

lib. 4. c. 3. cap. 7. Circa hujus Quæstionis formationem debet notari, quamvis verba, *si nulla urgeat tentatio*, non parvi videantur esse momenti ad ipsius Controversiæ statum ritè ponendum & enucleandum, in ipsa tamen ejus tractatione parum aut nihil omnino ea fuisse à Bellarmino observata. Nostrum nunc iterum erit Augustini auctoritatem respicere & videre, quæ ejus fuerit mens & sententia de virtutibus Gentilium, quæ tantis celebrantur laudibus. Bellarminus quidem sine omni dubio putat à suis cum stare partibus, cujus rei causa non solum plura colligit ex variis operibus testimonia, quibus hoc probatum dare cupit, sed prolixissimè etiam ad ea respondere conatur loca, quæ in contrarium solent à non paucis adduci. Priora quod attinet, ita de eis scribit Bellarminus: *Augustinus docet, quædam opera bona fieri sine Fide, sed cum DEI auxilio speciali; & rursus alia sine auxilio speciali, solis naturæ viribus.* De primi generis operibus testimonium habemus in Epistola post centesimam trigesima, ubi laudat continentiam Polemonis, *quoniam DEI donum est*, inquit, & addit, *Quod si ille hoc donum cognovisset, fuisset non solum continentens, sed etiam religiosus, & pius, & continentiam habuisset non solum ad honestatem vite præsentis, sed etiam ad aternæ meritum.* Et in opere contra Julianum loquens de virtutibus infidelium inquit, *Quantò tolerabilius illas, quas dicit in impiis esse virtutes, Divino muneri potius, quàm eorum tribueris tantummodo voluntati, licet ipsi hoc nesciant.* Denique in libro de Prædestinatione sanctorum, & in opere de Baptismo, eleemosynas Cornelii, antequam crederet in CHRISTUM, & iustitiam ad DEI

Dei deputare inter peccata. Pergit, de *secundi generis operibus* testimonium habere in libro de *perfectiōe iustitiæ*, responsione proximâ postremâ, ubi, cum Cœlestinus probare volens, non esse necessariam Dei gratiam ad bona arbitrii liberi opera, objecisset illud Apostoli, *Quod vult, faciat; non peccat, si nubet*, Augustinus respondit, *Videte, obsecro, quales sit, volenti & currenti misericordiam Dei non necessariam dicere, quia de quodam ait Apostolus, quod vult, faciat, &c. quasi pro magno sit habendum, velle nubere, ubi de adiutorio Divinæ Misericordiæ operosius disputatur.* Bellarminus addit, Itaque concedit Augustinus, in huiusmodi operibus humanis, quæ ad salutem non pertinent, auxilium Gratiæ non semper requiri; & tamen hæc opera sunt bona, cum peccata non sint, Apostolo teste, qui ait, *Non peccat, si nubet.* Aliud testimonium est in libro de *Spiritu & litera*, qui locus paulò fufius est recitandus. *Si, inquit, hi, qui naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, nondum sunt habendi in eorum numero, quos Christi gratia iustificat, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum Verum veraciter pieque colentium, quædam facta tamen vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum Iustitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito rectèque laudamus, quanguam si discutiat, qui sine fiant, vix inveniantur, quæ Iustitiæ laudem debitam defensionemve mereantur.* Ubi ex observatione Bellarmini notandum est illud *vix*. Verè enim magna pars operum infidelium ob finem pravum, ad quem referuntur, peccata simpliciter sunt; quædam tamen, tamen pauca, inveniuntur, quæ nullo fine malo vitiantur, & ea non peccata, sed opera bona simpliciter dici debent. Itaque idem Augustinus ita continuò subjungit: *Veruntamen, quia non usque adeo in anima humana Imago Dei terrenorum affectuum labe est detrita, ut nulla in ea velut lineamenta externa extrema remanserint, unde merito dici possint etiam in ipsa vita sua impietate aliqua legis facere vel sapere &c.* Quorum verborum hic esse videtur sensus, subdit Bellarminus, si quaeramus opera bona infidelium, quæ propter malum finem facta non sint, ac per hoc simpliciter bona sint, vix invenire poterimus; ejusmodi tamen aliqua esse, inde potest colligi, quod imago Dei in animâ hominis per peccatum non omnino est sublata. Quare paulò post hæc adjungit Augustinus: *Sicut non impediunt à vita æterna justum peccata quædam venialia, sine quibus vita hæc non ducitur, sic ad salutem æternam nihil profunt impio aliqua opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis invenitur.* In quibus verbis, quæ iterum Bellarmini est glossa, ipsa antithesis apertè satis testatur, opera bona impiorum, quæ non profunt ad vitam æternam, non posse dici peccata; sicut peccata justorum venialia, quæ non impediunt à vita, opera bona dici non possunt. His addè, pergit Bellarminus, quod idem Augustinus in opera de Civitate Dei dicit, *Deum Romanis tam amplum dedisse imperium, ut remuneraret in hac vita bonas eorum virtutes.* Sive autem virtutes illa, subnectit Bellarminis, cum Dei gratia speciali fuerint conjunctæ, sive non, certè in infidelibus erant, & virtutes erant, non vitia, nisi Deum remuneratorem vitiorum, quod absurdissimum est, faciamus. Adde etiam *ultimò*, quod idem Author in omnibus ferè locis, ubi scribit, *nihil boni posse fieri sine auxilio gratiæ*, addere solet limitationem, *si videlicet opera illa bona ad pietatem & salutem pertineant*; ut nimirum significaret, ad opera bona, quæ ad pietatem & salutem non pertinent, aut Gratiæ auxilium non requiri, aut certè sine præjudicio Fidei de hac re disputari posse. Ita in libro de Gratia Christi scribit, *Gratiam Dei sic confiteatur: qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illis, quod ad pietatem veramque pertinet Iustitiæ, fieri posse non dubitet.* Item in libro de Gratia & libero arbitrio, *Sine illo operante, ut velimus, & cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Idem dicit eum habere in libro de *Prædestinatione Sanctorum*, & alibi frequentissimè. Tandem subnectit *Auctorem Hypognostici*, qui sub Augustini nomine à non paucis citatur, ita scribentem: *Esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem rationis iudicium, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare aut certe perficere, sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quàm malis etiam. Bonis dico, quæ de bono Naturæ oriuntur, id est, velle in agro laborare, velle manducare & bibere, velle amicum habere, velle indumenta habere, velle domum fabricare, velle uxorem ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum, velle quidquid boni ad*

*presentem vitam pertinet.* Neque satis facit *Gregorius Ariminensis*, respondens, hæc non esse bona moralia, sed naturalia; nam Author hujus libri bona hæc opponit malis, cum dicit, *liberum arbitrium posse sine Gratia Dei velle tam bona, quam mala, que ad vitam pertinent presentem.* Et certè non loquitur de malis naturalibus, nemo enim eligit illa mala; sed de moralibus, quæ sunt propriè voluntaria, quod exemplo etiam patet, quod idem ponit Author, nimirum, *colere Idolum & similia.* Loquitur igitur de bonis moralibus, qualia sunt illa omnia enumerata, si debitis vestiantur circumstantiis.

Hæc *Bellarminus*, progressum nunc faciens ad examen locorum, quæ pro sententia opposita ex Augustino solent commendari. *Primum*, inquit, argumentum est ex opere Retractionum, *Voluntas sine charitate tota est vitiosa cupiditas.* Respondet, loquitur Augustinus de Voluntate, ut voluntas significat potentiam, non actum, nam de eadem paulò ante dixerat, *Quantum est, quod valet voluntas sub cupiditate dominante, nisi fortè, si pia est, ut oret auxilium?* Porro, *potentia voluntatis sine charitate tota est vitiosa cupiditas*, id est, plena amore proprio est. Sed non tollitur propterea naturalis inclinatio ad bonum, quæ non est habitus bonus vel malus, quales sunt charitas & cupiditas, sed est ipsa voluntatis potentia, inclinata ad bonum naturâ suâ, ex qua inclinatione fieri potest opus aliquod, quod non sit peccatum, quando non datur occasio cupiditati, ut suam vim exerat, ut, cum aliquis, quamvis alioquin vitiis omnibus coopertus, occurrit pauperi & aegroto, & illi ex misericordia humanâ compatitur. Non esse autem omnia illorum opera, qui Charitate carent, ut proinde non carent cupiditate, peccata, docet idem Augustinus in libro de *Patientia*, ubi de Schismaticis loquens dicit, *eos non peccare, si quid patientur pro Christo; & tamen id eis non prodesse ad vitam æternam, cum charitatem non habeant.*

Sequitur argumentum ex Epistola post centesimam sexta, *secundum*, ubi sic loquitur Augustinus de Pelagio: *Aliquando ita paribus momentis potestatem voluntatis æqua lance perpendit, ut aliquantum etiam ad non peccandum valere definiat. Quod si ita est, nullus adjutorio Gratia reservatur locus, sine qua nos dicimus ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium habere.* *Bellarminus* respondet, Non significat Augustinus meo iudicio, non posse hominem suis viribus facere opus aliquod quod non sit peccatum, sed non posse vivere sine omni peccato, ita ut illud, *ad non peccandum*, non sit, ad peccatum aliquod vitandum, sed ad vivendum sine peccato. Nam hic nobis persuadet in primis illa ratio ejusdem Augustini, *Quod si ita est, nullus adjutorio Gratia reservatur locus*; quæ nihil concludit, si, *ad non peccandum*, significet, ad peccatum aliquod vitandum. Concludit autem efficacissimè, si significet, ad nunquam peccandum, *Deinde*, verba etiam sequentia idem testantur; nam explicans Augustinus, quid sit, quod Pelagius dicebat, *Arbitrium liberum aliquantum valere ad non peccandum*, dicit, sensit Pelagium, *posse hominem solis naturæ viribus omnia servare Mandata, sed egrè ac difficulter, per Gratiam verò suaviter ac facile, ac per hoc posse viribus suis nunquam peccare, sed aliquantum, id est, egrè ac difficulter.* Adde etiam tertio, non fuisse ab ullo veterum inter errores Pelagii numeratum, posse hominem suis viribus facere aliquod opus moraliter bonum, vel, quod idem est, facere aliquod opus, quod non sit peccatum, sed posse omnia servare Mandata, & vivere absque omni peccato, ut patet ex *Hieronymi* tertio contra Pelagianos libro & Augustini de Hæresibus capite ultimo. Posset etiam responderi ad idem argumentum, per illud, *ad non peccandum*, significari, ad resistendum tentationi; & tunc libentissimè confitemur, scribit *Bellarminus*, ad non peccandum sine adjutorio Gratia liberum arbitrium nihil valere. *Tertium* porro argumentum sumitur ex Enchiridio, ubi sic legimus; *Quid boni potest operari perditus, nisi in quantum a perditione liberatur?* *Bellarminus* respondet, Loquitur Augustinus de opere bono, quod ad salutem perducatur; dixerat enim, *Verum, hæc pars generis humani, cui Deus liberationem regnumque paravit æternum, numquid meritis operum suorum potest reparari? Absit; quid enim boni potest operari perditus, &c.* Succedit argumentum ordine & numero *quartum* ex opere de peccatorum meritis & re-

missio-

missione, *Si voluntas aut bona est aut mala, & utique malam non à Deo habemus*, cap. 12. *restat, ut bonam voluntatem habeamus à Deo.* Bellarminus respondet, Per voluntatem Augustinus non accipit actum voluntatis, ut Adversarii putant, sed potentiam, quæ si prædita est Charitate, est bona; si cupiditate, est mala. Dixerit enim paulò ante, *illam esse bonam, quæ diligit Deum; illam vero malam, quæ non diligit*, diligere enim & non diligere pertinet ad potentiam. Potest autem voluntas mala operari aliquid boni moralis, sicut voluntas bona potest operari aliquid mali venialis. Sed sicut voluntas bona hominis iusti non operatur peccatum veniale ex charitate, sed ex corruptione naturæ; ita voluntas mala hominis impii & infidelis non operatur bonum morale ex cupiditate, sed ex bono naturæ, quod (non) omninò periisse idem Augustinus scripsit in libro de Spiritu & litera, & aliis in locis. *Quintum* ex opere contra duas Pelagianorum Epistol. c. 34. *las* est argumentum, ubi scribit Augustinus *bonum liberi arbitrii usum esse ex Gratia*. 1.1. c. ult. Bellarminus respondet, Non dicitur benè uti libero arbitrio, qui inter innumerabilia peccata unum aut alterum opus bonum morale admiscet, sed qui ut plurimum vivit secundum rationem, & omnia Mandata moralia diligenter servat; quemadmodum non benè utitur calamo, qui unam aut duas literas pulchrè pingit, & integras dictiones corruptissimè, scribit, sed qui adpositè ad legendum omnia format ac digerit verba, quamvis unum aut alterum characterem minus rectè pingat interdum.

Hunc bonum liberi arbitrii usum Pelagiani meritorium Gratia volebant esse, nos verò dicimus cum Augustino, scribit Bellarminus, eum haberi non posse, nisi per Gratiam. *Sextum* ex eodem opere ducitur argumentum, ubi legitur, *liberum arbitrium captivatum valet non nisi ad peccatum, ad Iustitiam verò nisi liberatum Divinitus adiutumque non valet.* Bellarminus respondet, Rectè dicitur liberum arbitrium non nisi ad peccatum valere, tum quia magnas vires habet ad peccandum, tum quia ut plurimum re ipsa peccat, nisi Divinitus adjuvetur.

Nam pauca quædam bona moralia, quæ potest facere, pro nihilo reputantur, cum & nihil prosint ad æternam salutem, & obruantur multitudine peccatorum. *Septimum* ex opere de Gratia & libero arbitrio est argumentum, quod ita habet, *Quod non fit ex charitate, non bene fit.* Bellarminus respondet, Non fit benè, id est, utiliter ad salutem. *Octavum* ex opere triplici colligitur argumentum, videlicet, ex opere de *Nuptiis & Concupiscentia*, ex opere in *Juliano*, & Commentario in Psalmum trigessimum & secundum, ubi docet, *omnia infidelium opera esse peccata, & eò trahit illud, omne, quod non est ex Fide, peccatum est.* Bellarminus respondet, Duæ adhiberi possunt ad hoc argumentum solutiones.

Prior est iis conformis, quæ dicta sunt ad argumenta superiora, videlicet, omnia infidelium opera vocari peccata, quia ferè omnia fiunt ob finem malum, ut, in cultum fallorum Deorum, vel ad inanem gloriam. Et hoc modo loquitur Augustinus citato in Julianum opere, *Quidquid boni fit ab homine & non propter hoc fit, propter quod fieri vera jubet sapientia, & si officio videatur bonum, ipso non rectò sine peccatum est.* Et infra, *An & istis, qui exhibuerunt terrena patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute civili, non vera, sed verisimili Dæmonibus, vel humana gloriæ servierunt, Fabius videl. & regulis, & Fabritiis, & Scipionibus, & Camillis, provisuri estis aliquem locum inter damnationem regnumque Cælorum?* Damnat igitur rectissimè Augustinus, ex iudicio Bellarmini, illa infidelium opera, quæ ad malum ab eis referebantur, & quoniam talia erant ferè omnia, quæ fiebant ab illis, ut idem dicit in libro de *Spiritu & litera*; idèò simpliciter omnia infidelium opera dicit fuisse peccata, tribuens omnibus, quod maximæ parti conveniebat, & meritò reprehendit Julianum, qui temerè adseribat, posse infideles viribus naturæ omnia præcepta moralia servare, & sine peccato vivere. *Posterior solutio* erit, si dicamus, per peccatum intelligi ab Augustino non solum id, quod est propriè peccatum, & cui de-

betur poena, sed illud etiam, quod caret omni perfectione illa, quam habere potuisset, quodque sterile & inutile est ad veram Beatitudinem consequendam; ita enim seipsum explicat citato in Julianum opere scribens, *Scito, nos illum hominem bonum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum, per quod solum homo potest ad aeternum Dei donum regnumque perducere.* Hæc Augustinus, qui cum ita definiverit bonum, significavit etiam contra malum se appellare & peccatum illud omne, quod ad Regnum Cælorum non perducit, etiam si alioquin non sit tale malum, quod mereatur penam. *Nonum & ultimum* ex illis Augustini testimoniis formatur argumentum, quæ docent, virtutes morales etiam esse dona Dei, sive in fidelibus, sive infidelibus inveniantur. Id docet de virtute Continentiæ in Epistolis, de patientia in libro de eadem, idemque adfirmat de omnibus infidelium virtutibus citato in Julianum opere. *Bellarminus respondet*, virtutes morales merito dicuntur dona Dei, quia non adquiruntur, nisi per actus frequentes; non possunt autem frequentari ejusmodi actus, nisi passionibus resistendo, eisdemque frænando & coercendo, quod sine adjutorio & protectione Dei non potest fieri. Sed non sequitur, si virtutes sint dona Dei, non posse hominem suis viribus aliquid bonum opus facere, quando nulla tentatione pullatur, quod sit bonum moraliter, hoc est, non sit peccatum proprie dictum.

Epist. 89.  
Quæst. 2.  
ad Hilat.

I. II. cult.  
P. 54.

ad pr. sec.  
Tom. II.  
Disp. 189.  
& seqq.

Atque sic Bellarminus Augustini sententiam de virtutibus infidelium exposuisse & defendisse voluit videri, qui tamen dissimulare non potuit, Gregorium *Ariminensem*, Scriptorem ante tria hæc secula non incelebrem, non solum statuisse contrarium, sed Augustinum quoque suis adscripsisse partibus. Nobis de Augustini mente uti hætenus, ita etiam porro sollicitis, in hac eadem Quæstione ante omnia est observandum, ejus auctoritatem variè jactari & proponi. Inter eos, qui ferè eodem tempore cum Bellarmino Controversias publicis in scriptis tractaverunt, non ultimum occupare sibi visus est locum *Thomas Stapletonus*, natione Anglus, in Academia Duacensi Professor Regius, qui in amplissimo opere de *Doctrina Iustificationis*, mentionem faciens hujus quæstionis, ubi in utramque partem ponderavit Augustini testimonia, quibus & infidelium virtutes commendare visus est, & ea tamen vocare peccata, aliam conciliationis invenire non potuit, viam, quam ut aliter eum sensisse statuat in Dogmaticis, aliter in Polemicis operibus. Ne quidquam ei adscripsisse videat præter mentem, ipsa ejus verba huc placet adponere, quæ ita habent: *Frunquem hac Disputatione modum forlasse excesserit Augustinus, ut propter adversarii, Pelagii, impudentiam petulantissimam* (qui Ethnicorum virtutes & veras & perfectas esse adterruit, nec quidquam à Christianorum virtutibus differre, nisi quod essent steriles, quod ad aeternæ vitæ meritum attinet) *etiam peccata esse diceret, quæ erent & perfecte non essent bona, tamen, nusquam hoc alibi dixisse legitur aut scripsisse, ubi sine adversario non agnoscit* (forsitan, antagonisticè,) *sed dogmaticè scripsit.* Videat lector judicare doctus, an hoc sit Augustinum defendere, & non potius eum facere bilinguem, aut sibi licet uti vocabulo aliàs non inusitato, bipennem? Aliter de Doctore hoc undiquaque augustissimo fenserunt alii, nominarim *Vasquezus*, socius & coætaneus eidem Bellarmino, verum in hac Controversia, uti in pluribus aliis, ab ejus mente, præsertim quo ad Augustini auctoritatem, alienissimus, quod nunc venit ostendendum. Agit autem de hac & connexis quæstionibus prolixissimè, nobis ad ea iterum attentis, quæ Instituti ratio desiderat. In Disputatione, igitur, *An possit homo sine auxilio Gratiæ vincere tentationes*, post aliorum sententias certis rationibus repudiatas, hanc in se suscepit defendendam. *Ad servandam totam legem naturalem & vincendam omnem tentationem, necessariam esse gratiam, saltem ordinis naturalis secundum substantiam* adductis pro Gratiæ hujus necessitate quibusdam Augustini testimoniis, iis non multum dissimilibus, ad quæ Bellarminus respondere conatus est, adeoque hic prætermittendis; non tamen prætermittendâ illius responsi censurâ, quo Bellarminus contra secundum ordine argumentum ex Epistolâ post centesimam sextâ usus est, contra quod, quamvis Bellarmino non nominato, ita scripsit Vasquezus: *Respondent aliqui Augustinum verbis, ad non peccandum, non significare, ad vincendam aliquam tentationem, sed, ad vivendum omnino sine peccato, id quod nihil aliud est, quam in nullum incidere peccatum.* Qui autem dicunt, liberum arbitrium valere ad vincendam tentationem aliquam, non proinde adserunt, valere etiam ad vivendum sine peccato, hoc est, ut homo in nullum delabatur peccatum. Hanc verò interpretationem

colli.

colligunt ex eo, quod statim subdit Augustinus rationem his verbis, *Quod si ita est, nullus adjutorio Gratiae locus reservatur*; id enim non recte colligeret, si illud, *ad non peccandum*, idem esset quod, *ad resistendum alicui tentationi*. Nam quamvis homo possit aliquibus levioribus tentationibus resistere, adhuc tamen amplissimus Gratiae relinqueretur locus, ad vincendas nimirum plures tentationes vehementes, quae non raro occurrunt. *Ceterum si verba Augustini recte perpendantur*, planè constabit, idem esse apud eum, *valere aliquantum liberum arbitrium ad non peccandum*, quam ad vincendas tentationes aliquas. Nam si liberum arbitrium ex se aliquas vinceret tentationes, certè etiam aliquid ex se conferret, ac proinde valeret etiam aliquid, ut sine ullo peccato viveremus. Cum igitur Augustinus in Pelagio illam propositionem impugnat, *Aliquantum valet arbitrium ad non peccandum*, & contendit contradictoriam esse veram, nempe, *Nihil valet arbitrium ad non peccandum*; manifestè vult denegare arbitrio nostro sine Gratiae adjutorio & ex se considerato minimam aliquam victoriam contra tentationes, alioquin si aliquas minimas vinceret, aliquid conferret, ut sine peccato viveremus, ac proinde ad non peccandum aliquid valeret. Nam vivere sine peccato, & non peccare, non saliter contingit, nisi vincendo hanc & illam tentationem sigillatim; quare si arbitrium vinceret aliquas antequàm Gratia inciperet ipsum adjuvare, aliquid ad hunc finem faceret, & Gratia deinde completeret totum, atque ita vivere sine peccato, partim Gratia cum arbitrio, partim arbitrio sine Gratia esset adscribendum. Hanc autem Doctrinam confirmat Augustinus optimè ab absurdo verbis illis, *Quod si ita est, nullus adjutorio Gratiae reservatur locus*; non quia non superessent aliqua tentationes, quas Dei gratia vincere possemus, etiam si leviores propriis viribus fuissent superatae, sed quia hic non est locus, qui debetur Gratiae, nec ei est adaequatus, cum ad multo plura sit necessaria, & hoc pacto intra brevioris spatii terminos ipsam concluderemus, si aliquid sine illa posset arbitrium vitare peccatum. Proximè enim subdit Augustinus, *sine quâ, nimirum Gratia, nos dicimus ad non peccandum nihil valere*, scilicet arbitrium, ac si dicat, nullus profectò locus proprius & adaequatus Gratiae relinquitur: locus enim gratiae est integra vacuitas & inanitas arbitrii ad vincendam ullam tentationem, quam totam, ut locum sibi debitum gratia debet occupare, ita ut in breviori esse non possit, aut si in breviori concludatur, non sit gratia vera, de qua dicimus, *sine ea nihil valere arbitrium ad non peccandum*. Ita igitur alienum putat Augustinus à gratia, ut victoriam tentationum ullo modo dividat cum arbitrio nudè ex se considerato, ut facta tali divisione jam non vera maneat gratia, quae ex se totum, & non partem facere deberet. Adde etiam, si arbitrium ex se posset aliquas tentationes leviores sine ullâ gratia evincere, ipsum per se posse complere aliquando nostram perseverantiam per aliquam vitae periodum, atque ita valere ad non peccandum ullo modo usque in finem vitae pro eo tempore, quod est absurdum. Ita hæc Vasquezius contra responsum Bellarmini ad secundum ex Augustino contra infidelium virtutes argumentum, quibus plura in sequentibus similia subnectit Bellarmino opponenda: Nam in Disputatione proxima, *An ad singula opera bona virtutis moralis adquisita indigeamus auxilio Gratiae Dei per Christum*, post recensitam opinionem, quae Bellarmini est & plurima aliorum, aliam subjungit, videl. *Nullum opus morale ex omni circumstantia bonum posse fieri sine aliquo gratiae auxilio*, deque ea monet, Augustini Scholam hanc gratiae necessitatem ad singula opera bona moralia docere, pluribus in id ipsum citatis ex Augustino testimoniis, quae iis possunt & debent adjici, quibus respondendo satisfacere studuit Bellarminus, ostensa simul insufficientia responsum, quae apud non unos Authores ad hæc & similia Augustini loca leguntur, nobis nunc ad eas tantum respicientibus, quas Bellarminus habet minus ad rem pertinentes.

Rejectis igitur tribus aliorum Expositionibus, nominatim *Caranzae, & Hieronymi Torrensis*, præter alios, ita scribit porro. *Quarta igitur & magis celebris expositio est, prædicta Augustini testimonia ita esse intelligenda, ut loquantur solum de operibus bonis ad æternam vitam pertinentibus, ita ut ea fieri nequeant sine auxilio gratiae, non autem de bonis operibus vitae præsentis, ac proinde hæc sine auxilio gratiae fieri posse non negent*. Ita explicant *Driedo, Sotus, Vega, Tapperus, Hofius*, Bellarmino iterum non nominato, omnesque videntur defumisse ex *Cajetano*. Addit, fateor sanè, multa esse loca in Augusti-

gustino, ejusque Discipulis, ex quibus Scholastici occasionem capere potuerunt ita explicandi omnia testimonia, quæ pro sententia secunda adferuntur; oportebat tamen eos phrasin & modum loquendi eorum Patrum penitus considerare, & ex aliis locis veram intelligentiam & sensum ipsorum colligere, ubi perspicue satis ab ipsis expressus est. *Primo* quidem, quia quamvis arbitrium liberum sine Gratia non possit velle aut cogitare, quæ ad veram pietatem, & ad Deum, & vitam pertinent æternam; si tamen posset ex se sine ullo Gratia auxilio à dono Creationis distincto cogitare, velle & perficere opus aliquod virtutis moralis adquisitæ ex omni circumstantia & sine bonum, perperam dixissent Patres, nihil ex se posse nisi peccatum. *Præterea* Augustinus in Epistola ad Hilarium non minus absurdè dixisset, arbitrium Gratia Divina destitutum nullo modo habiturum Justitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ & exitiosum tumorem. Numquid, si posset habere homo sine Gratia auxilio adfectum aliquem humilitatis ex sine solum honesto virtutis moralis, aut opus aliud hujusmodi, auderemus cum Augustino tale opus vocare inflationem impiæ superbiæ & exitiosum tumorem? Absit, ut Augustino tam ineptum & absurdum loquendi modum tribuamus. Posset autem homo sine dubio opus aliquod humilitatis habere sine Gratia auxilio, si alterius etiam virtutis posset habere; quia non est potior ratio unius, quam alterius. Præter hæc autem Augustini testimonia superius adlegata, sunt alia satis perspicua, ubi solum tribuit arbitrio sine Gratia non morale bonum, sed peccatum, omnem autem bonam voluntatem ex Dei Gratia docet esse. Sunt autem Augustini testimonia pro Gratia necessitate, ad quæ hic provocat Vasquezius numero quatuor, omnino huc ob majorem veritatis illustrationem adponenda. *Primum* ex libri de Hæresibus capite ultimo est, ubi de Pelagianis sic loquitur: *Illam Dei gratiam, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tamen ipso adjuvante per suam legem atque Doctrinam, ut discamus quæ facere & sperare debeamus.* Augustinus verò respondit, *nos autem ad hoc per Donum Spiritus Sancti, ut quæ didicerimus facienda, faciamus.* Secundum est ex Epistola ad Hilarium, *Valet arbitrium liberum ad opera bona, si divinitus adjuvetur, quod sit humiliter petendo & faciendo; desertum vero (a) Divino adjutorio, qualibet scientia legis excellat, nullo modo habebit Justitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ & exitiosum tumorem,* de quo proxime dictum. *Tertium* est ex sermone de verbis Apostoli post decimum tertio, non longè à medio, ubi contra Pelagianos, qui dicebant Gratiam Dei nobis dari, ut facilius operemur ea, quæ sine illa efficere poteramus, ita scribit, *Non sic est adjutorium Dei, non sic est adjutorium Christi, non sic est adjutorium Spiritus Sancti. Prorsus si defuerit, nihil boni poteris agere.* Agis quidem illo non adjuvante (ex) libera voluntate, sed male. Et statim subjungit, *Cum dico tibi, sine adjutorio nihil agis, nihil boni dico; nam ad male agendum habes sine adjutorio Dei liberam voluntatem.*

LII.c.18.

Quartum est ex Tractatu in Johannem quinto, ex quo ad verbum desumptum fuit Canon post vigesimum secundum Concilii Arausiaci secundi, ubi homini ex se considerato sine gratia Dei solum tribuit injustitiam & mendacium; si autem habet Veritatem & Justitiam, DEO & Gratia ipsius adscribendum putat. His nunc addit *quintum* ex opere de peccatorum meritis & remissione, prolixius quidem, sed notatu dignissimum: *Nisi obtineamus, non solum voluntatis arbitrium, quod huic atque illud spectatur liberum, atque in eis naturalibus bonis est, quibus & male uti malus potest, sed etiam voluntatem bonam, quæ jam in eis est bonis, quorum usus esse non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse, nescio, quemadmodum defendamus quod dictum est, Quid habes, quod non accepisti? Nam si nobis libera quædam voluntas ex DEO est, quæ adhuc potest esse vel bona vel mala, bona verò voluntas ex nobis est, melius est id, quod à nobis, quam quod ab illo est. Quod si absurdè dicitur, oportet fateantur, etiam voluntatem bonam nos divinitus adipisci, quanquam voluntas, mirum, si potest in medio consistere, ut nec bona sit, nec mala. Aut enim diligimus Justitiam, & bona est, & si magis diligimus, magis bona, si minus, minus bona est; aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo Justitiam modo diligentem non modo esse malam, sed pessimam etiam?* Si ergo

ergo voluntas aut bona est aut mala, & utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam habeamus ex Deo. Ex quibus planè constat, scribit Vasquezius ad hujus testimonii sensum, eam voluntatem, quæ tribuitur arbitrio sine Deo, hoc est, sine divinæ gratiæ adjutorio, non modò malam, sed pessimam etiam ab eo vocari.

Atque hæc pertinent ad responsiones Bellarmini, quas tertio & septimo Augustini testimoniis opposuit; nunc sequitur ejusdem Vasquezii Epicrisis circa responsiones ad primum & quartum, quæ sequentibus exhibetur: *Recentiores nonnulli respondent*, voluntatem accipi ab Augustino non pro adfectu, sed pro facultate ipsa & potentia, quæ si prædita sit charitate, sit bona, si non, mala, eo quod dicat, voluntatem non diligentem Justitiam esse malam; diligere enim Justitiam non esse adfectus, sed potentiæ & voluntatis. *Verum ex verbis statim citandis facile potest convinci interpretatio prædicta.* Nam quod nos à Deo avertimus, malam dicit esse voluntatem; quod verò ad Deum nos convertimus, bonam dicit esse voluntatem, idque nos efficere non posse, nisi Deo excitante & adjuvante, id quod de ipso adfectu planè intelligitur. Nam paulò antea, ut ostenderet bonam voluntatem esse à Deo & gratia ipsius, adduxerat testimonium ex libro Proverbiorum, *Præparatur voluntas à Domino*; quod passim in suis repetit operibus, & de adfectu voluntatis debet intelligi, sicut ipse exponit ubique. Adducit etiam illud Pauli, *Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere*, quod etiam de adfectu intelligitur, non de ipsa facultate. Deinde, institutum capitis in maximè declarat. Nam in principio illius objecerat sibi hunc in modum: *Laborant homines invenire in nostra voluntate, quod bonum sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo; & quomodo inveniri possit, ignoro.* Qui autem ita objiciebant, solum contendebant bonum adfectum in nobis reperiri sine Gratia auxilio; & refutat eos Augustinus illo Pauli testimonio, *Quid habes, quod non accepisti?* Et paulò inferius de eisdem, qui ita objiciebant, sic ait: *Illud Apostoli, quod commemoravi, sic defendere quidam voluerunt, ut dicerent, idèò, quidquid etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum esse, quia & hoc in illo non posset esse, si ipse homo non esset, &c.* Cùm dicebant, quidquid bonæ voluntatis, intelligebant planè, quidquid adfectus boni esset in nobis, in gratiam Creationis solum esse referendum, nempe quod homines conditi essemus rationales, ut Pelagiani semper referebant. Denique, cùm ait, aut diligimus Justitiam, & bona est voluntas, aut si omninò non diligimus, non bona est; distinguit bonam & malam voluntatem per adfectum virtutis & per oppositum. Potest autem aliquis existens in peccato diligere Justitiam opere aliquo, & tunc ejus voluntas, adfectus nempe, bona est; sed ejus voluntas, nempe facultas, adhuc mala est, quia in peccato adhuc manens. *Neque obstat*, quod recentiores illi pro sua Expositione adferebant; nam & voluntas Justitiam diligens dici potest non solum potentia & facultas ipsa, sed etiam adfectus ipse passim namque adfectus etiam dicitur diligere, cum sit ipsamet dilectio. *Hæc & plura ibidem* contra Bellarminum, et si nominatenus non expressum, ut potè tum adhuc Romæ in summo Cardinalatus honore viventem; quibus observatis non difficile videri potest iis etiam satisfacere, quæ ad cætera Augustini testimonia respondit Bellarminus.

Quamvis autem Vasquezius posteriori huic sententiæ de Gratia necessitate, pro qua ex Augustino contra priorem disputavit prolixissimè, non velit videri adiectus ex assè, sed tertiam proposuerit quasi mediam inter duas tanquam extremas & fibimet invicem oppositas, ac utriusque conciliatricem, videlicet, *posse quidem hominem singula opera virtutis moralis efficere sine Gratia auxilio per Christum, quod suapte natura sit ordinis supernaturalis; non tamen posse ullum opus morale secundum virtutem ex omni parte bonum operari sine aliquo Gratia auxilio per Christum, quod suapte natura sit ordinis naturalis, & per causas naturales æterna Dei Misericordia nobis præparetur &c.* nihilo tamen minus non destitit, prioris sententiæ, quam Bellarmini etiam esse diximus, fundamenta prolixius examinare, ea nominatim, quæ Augustini nituntur autoritate, de quibus nunc porò videndum. Et quidem ad illud, quod Bellarminus ex opere de Spiritu & litera produxit, ita Vasquezius scripsit ibidem: *Testimonium hoc multos decepit*, eo, quod cum in eo usus sit hyperbato Augustinus, imperfectum & eclipticum illius sensum citarunt omnes, perfectum esse existimantes. Imò, quod magis mirandum est, qui capita illius libri primus divisit, ita caput vigesimum & septimum clausit, ut in eo sensus non esset perfectus,

fectus, sed partem aliquam capitis vigesimi & octavi desideraret, in quo capite hyperbaton & repetitio est, quâ sensus capitis vigesimi & septimi perficitur. Nam cum Augustinus in præcedentibus probasset uberius, *literam legis sine spiritu Gratia nihil juvare ad observationem sui*, & ita discrimen adsignasset inter Novum & Vetus Testamentum, quod præstet vires ad operandum ob gratiam Christi, (de cuius thesæos veritate jam non est agendi locus) vetus autem non præstaret, erat enim ipsa legis præcipientis litera, atque illud Pauli testimonium, *Naturaliter, quæ leges sunt, faciunt*, explicasset, de naturâ per Gratiam reformatâ, ut ita prædictum discrimen Novi & Veteris Testamenti defenderet, ostendens, literam legis non adjuvare ad observationem sui, sub finem capitis vigesimi & septimi ea subdit verba, quæ Bellarminus supra fecit sua, quibus finitur caput hoc juxta communem divisionem. Quis autem non videat, scribit *Vasquezius* porro sensum esse eclipticum & non definitum? Nam conditionalis particula, *Si*, initio periodi posita aliquid sibi respondens postulat, ut sensus ille sub conditione compleatur, idque hyperbaton & repetitio ejusdem in capite sequenti declarat manifestè; cujus initio hæc sequuntur verba, quæ præcedentibus non uno solum, sed duobus punctis distincta sunt conjungenda, itidem à Bellarmino adducta, post quæ ita iterum *Vasquezius*, Hactenus est sensus continuus sub conditione eclipticus & imperfectus, desiderans aliquid, quo tandem concludatur conditio; & quia longius in hoc imperfecto sensu processerat Augustinus, usus deinde hyperbato & repetitione concludit his verbis sensum: *Si hoc est, quod dictum est, quia gentes, quæ legem non habent, hoc est, legem Dei, naturaliter, quæ leges sunt, faciunt, & quia ejusmodi homines sibi met ipsis lex sunt, & opus legis scriptum habent in cordibus suis, id est, non omnino deletum est, quod ipsis per imaginem Dei, cum crearentur, est impressum, etiam sic illa differentia non perturbabitur, quæ distat à Veteri Testamento novum, eo quod per Novum scribitur lex Dei in corde fidelium, quæ per Vetus est in tabulis scripta. Hoc enim illis scribitur per renovationem, quod non omnino deletum est per vetustatem.* Addit loco Glossæ *Vasquezius*, Quis jam dicat, Augustinum ex sententia propria concedere aliqua bona opera in impiis infidelibus sine Gratia Dei, & in nobis post peccatum primi Parentis mansisse facultatem cogitandi & faciendi aliquid boni? *Aliquis interpositis*, Quæ verò in eodem testimonio proferuntur loco postremo, quibus in impiis & infidelibus sine Gratia Dei concedere videtur Augustinus opera quædam moraliter bona, non sunt secundum ipsius sententiam accipienda, sed ea dixit sub conditione, admissio explicandi modo sensum Pauli, de quo hactenus, inquit enim paulò ante: *A Deo gratia si aliquid sunt illi, qui secundum modum illum, de quo superius, naturaliter, quæ leges sunt, faciunt, quid eis proderunt excusantes cogitationes in die, quæ judicabit Deus hominum occulta, nisi forte, ut mitius puniantur?* Adduntur verba, quæ Bellarminus etiam supra adduxit. Ita *Vasquezius* respondit ad Augustini testimonium ex opere de *Spiritu & litera*.

Nunc sequitur ejus responsum ad locum, quo Bellarminus ante hoc usus est ex libro de *Perfectione Iustitiæ*: Augustinus non concedit, uti refertur, posse aliquem sine Gratia ducere uxorem secundum virtutem; sed cum adduceretur ad hoc probandum pro Pelagio illud Apostoli, *Quod vult, faciat*, respondet his verbis, *Quasi pro magno sit habendum, &c.* & quæ porro leguntur apud Bellarminum. *Quasi dicat*, licet concederemus, posse velle hominem sine auxilio Gratia uxorem ducere secundum virtutem, hoc tamen parùm juvaret Pelagium & alios, qui pro viribus contendunt, posse hominem servare totam legem, & alia plura. Et hoc est, quod ait, *ubi de adjutorio misericordie divine operosius*, hoc est, laboriosius *disputatur*. Plurimum enim contra Pelagium laborabat Augustinus in præcipua & maxima cum eo controversia de tota lege servanda; ob id tamen non adfirmat, id fieri posse sine Gratia, sed etiam si concedatur, nihil magni obtinere Pelagium. Verùm hac solutione non contentus, neque hoc admittens bonum opus sine Gratia, proximè subdit: *Aut verò ibi prodest aliquid velle, nisi Deus providentia sua, quæ gubernat omnia, Matrem feminamque conjungat.* Ac si dicat, neque hoc fieri posse sine Providentia divina, quæ temperat maris feminæque voluntates, ut conjungantur. Providentiæ autem nomine non quamcunque providentiam, sed Gratia debemus intelligere, tum quia de hac solum erat controversia cum Pelagio, quare frustra ad communem providentiam confugeret Augustinus, nec rectè Pelagium impugnaret; tum etiam, quia rectè & adfectu virtutis Matrem feminamque copulari opus est insigne, neque ex iis, quæ secundum veram sententiam

1. Cor. 7.

tentiam sine auxilio Gratia DEI possunt fieri. Neque obstat, Augustinum dixisse *Providentia sua, qua gubernat omnia*; nam Providentia DEI universæ, qua dicuntur omnia gubernari, sub se complectitur providentiam Gratia. Etenim Providentia Divina erga res quasdam non potest esse providentia gratia, quia illius ipsa partes non sunt, ut res inanimæ & irrationales; erga alias autem non potest non habere rationem gratia, qui gratis omnino gubernas eas. Tandem ad testimonium auctoris *Hypognocticæ*, quod ultimò post Augustini loca posuit Bellarminus, sequentia notat *Vasquezius*, eum id solum concepisse, fieri posse sine Deo, hoc est, sine auxilio gratia Dei, à libero nostro arbitrio bona quædam, non moralis quidem virtutis, sed ea, quæ ex se solum respiciunt vitæ præsentis commoditatem, nec ad Deum pertinent; & ita, postquam multa hujusmodi opera sigillatim enumeravit, monet *Vasquezius* porro, deinde generatim illa omnia & reliqua ejusmodi complectens ait, *Velle, quicquid ad præsentem pertinet vitam*, scilicet, liberum arbitrium potest. At ex sententia Augustini & ejus scholæ, opera virtutum moralium non debent dici opera præsentis, sed æternæ & vitæ ad Deum pertinentia. Cum igitur Author *Hypognocticæ* inquit, liberum arbitrium non posse sine Deo ea, quæ ad Deum, sed quæ ad præsentem pertinent vitam, potius docet, non posse opera moralis virtutis, sed tantum quæ pertinent ad commodum aliquod nostrum. Et sane hoc valde notandum est, eum auctorem enumerasse nunquam inter illa opera aliquod, quod suapte natura esset proprium opus virtutis moralis, ut inductione potest constare legenti; sed opera quædam commoditatis, quæ bene & malè fieri possunt, nempe ex fine honesto & malo. Subnectit, ego solum invenio discrimen inter Augustinum & Authorem *Hypognocticæ*, quod Author ille inquit, hæc opera, quæ bona adpellat, orta de bono naturæ, nempe ad vitam præsentem, & à malis distinguit, esse à DEO mala autem non esse, & ita videtur concedere opera media inter bona moraliter, & mala, quæ sunt à DEO, & providentia ipsius; *Augustinus* autem inter voluntatem moraliter bonam & malam non agnoscit mediam & eam, quæ est à DEO, inquit esse bonam moraliter. Verba auctoris *Hypognocticæ* post illa, quæ supra sunt adlegata, hæc sunt: *Quæ omnia, scilicet opera hæc enus enumerata, non sine gubernaculo Divino subsistunt, imò ex ipso & per ipsum sunt, vel esse ceperunt.* De malis verò, quæ peccata sunt, ut, colere Idolum, velle homicidium &c. inquit, *sed ista non pertinent ad substantiam vitæ præsentis, quia non sunt à DEO, imò desiderata malè maculant vitam à DEO. Ista sunt Zizania anime carnisque &c.* Ubi non solum vocat ea mala animæ, sed etiam carnis, scribit *Vasquezius* quæ iterum ad Glossæ Bellarminianæ nullitatem & insufficientiam demonstrandam possunt sufficere. Sed nondum adquefcit *Vasquezius* in Bellarmino quamvis sine expresso ejus nomine refutando, cui quamvis consentit in eo, quod ex Epistola Augustini post centesimam trigesima de *Polemone* circa priorem Quæstionis partem laudavit, agnito utrobique DEI auxilio speciali; ita circa locum ex opere contra *Julianum* quo itidem nititur Bellarminus, habet aliqua, quæ notari merentur omnino. Ita autem scribit, Augustinus, cum dixisset, esse quædam vitia Virtutibus opposita quædam verò similia, & virtutes à vitiis ex finibus esse distinguendas: *Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare vincitur. Quæ tamen non attendens, Julianus, fines ab officiis separati, & Virtutes veras officia sine finibus adpellandas esse dixisti; ex quo te tanta sequitur absurditas, ut veram cogaris adpellare Iustitiam, etiam cujus dominam repereris Avaritiam. Siquidem abstinere manum ab alieno, si officium cogites, potest videri esse Iustitiæ; sed cum queritur, quare fiat, & respondetur, ne plus pecunia litibus peccat, quomodo jam hoc factum vera poterit esse Iustitiæ, cum serviat Avaritiæ?* Ex quibus verbis patet, scribit *Vasquezius*, loqui Augustinum de vitio & peccato, quod vere peccatum est, & ostendit, quo pacto opus Virtutis aliquando vitietur propter finem pravum, ex quo procedit. Ex hac autem doctrina explicat ibidem, quomodo opera infidelium sint verè peccata. Nam post multa de infidelibus, qui opera ex se bona fecerunt, dicit, *Hoc tamen peccantes, quod homines sine Fide non ad eum finem ista retulerint opera, ad quem referre debuerunt.* Ex quo colligitur, Virtutes Fabriciorum, Regulorum, Fabiorum, Scipionum & aliorum gentilium ex Augustini mente vitia fuisse, quia ex illis operibus gloriam hominum quærebant, ac proinde de illis (statuisse,) eos non excusandos in die Judicii, sed mitius puniendos, quam alios, qui majora commiserunt peccata;

Uuuu

minus

minus enim Fabricius punietur, quàm Catilina, & subdit, *Non quia iste bonus, sed quia magis ille malus.* Et cum ex parte Juliani objecisset, misericordem voluntatem esse bonam, quasi hanc vellet infideli concedere, respondet, *Rectè istud diceretur, si, quem admodum Fides Christi, id est, Fides, quæ per dilectionem operatur, semper est bona, ita Misericordia semper esset bona.* Et cum probasset, misericordiam esse aliquando malam, deinde ostendit, misericordiam infidelem, hoc est, infidelium, esse malam, & subjungit, *Porrò, si vitium est, malè misereri, procul dubio vitium est, infideliter misereri.* Quod si & ipsa per se ipsam naturali compassione opus est bonum, isto etiam bono utitur malè, qui utitur infideliter, & hoc bonum malè facit, qui facit infideliter. Qui autem malè facit, aliquid profecto peccat.

I.V. c. 12.  
& 13.

Præterea, in opere de Civitate DEI, ex quo Bellarminus ad posteriorem Quæstionis partem, quæ hic quam maxime venit in controversiam, aliquid producit testimonium, Virtutes Romanorum adfirmat fuisse, vitia, quia honoris & gloriæ inanis, cupiditate illa efficiebant opera; & ubique de operibus infidelium loquitur, idem adserit omnino. Plura in sequentibus ad locum ex Opere contra Julianum habet Vasquezius, quæ tamen omittere cogimur, quia ex adductis patet sufficienter, quàm aliter longè Augustinum intellexerit & explicarit, ita ut argumentationes Bellarmini ex Augustino & responsiones ad Eius testimonia ab aliis producta ex professo videatur enervasse & examasse; quæ eo majoris etiam æstimari debent à nobis, quò illustriori Elogio commendatus fuit hic Scriptor ab eis, qui Tomo huic secundo, ex quo hæc sunt descripta, præfationem ad Lectorem omni laude abundantissimam præmiserunt, sub finem ejus scribentes, *fuisse Eum Augustini studiosissimum, idque non obscure præ se ferre opus istud, præsertim quia de Gratia necessitate agit; in eo quippe totum esse, ut omnia ad unum bona DEO optimo Maximo & Domino IESU referat accepta, & cum in reliquis semper fuerit, Augustinianus, hic ipsummet esse Augustinum, vel si pigeat Augustinum dicere, Augustini mentem & Linguam.*

T. II. de  
statu natu-  
ræ lapsæ,  
l. 4. c. 2. &  
& seqq.

Quò minus etiam ægrè fieri debet, dum contra hanc Vasquezianam explicationem nihil durius fuit pronuntiatum hactenus ex Sententia eorum, qui summum censendi & quavis examinandi ejus sibi metipsis adscribunt, si Jansenius etiam Yprenis eadem incedens via Augustinum à Bellarmini & Suarezii, aliorumque glossis & detorsionibus pravis, quemadmodum in aliis Quæstionibus plurimis, ita in hac etiam liberare studuit, labore in gratiam Veritatis utilissimo. Prolixissime autem hic etiam tractavit Quæstionem hanc controversam, præmittens itidem censuram responsionum ad loca Augustini de Virtutibus infidelium in numero peccatorum habendis, & postmodum indicans, quid de illis statuendum sit Augustini testimonium, quæ Virtutes infidelium tanquam opera verè bona videntur laudare & insigniter commendare; unde huc excerpentur brevissimè, quæ Vasquezianis observationibus defunt, adeoque prætermitti vix possunt aut debent. E serie verò responsionum Bellarmini eam in primis sumit examinandam, quam ad octavum ex triplici opere Augustini testimonium exhibuit, ut in cæteris etiam responsionibus, nominatim ad tertium & septimum, idem ferè contineatur, omnesque in universum ad unum eundemque ferè scopum ferantur. Verba Jansenii, hæc sunt, *Prima*, id est, primaria & potissima, responsio, quæ recentiores (Suarezius in margine citatur) Augustini testimonia, totamque cum Juliano disputationem diluunt, in eo est sita, quod Augustinus *improprie* peccati nomen usurper pro peccato late sumto, pro actu videlicet, qui non potest prodesse ad Vitam æternam; quidquid enim infidelis fecerit boni, caret illà perfectione operis boni, ut aliquid vita conferat æternæ, ideòque peccatum merito veluti actus defectivus potest adpellari. Nam Augustinus etiam, cum dicit, *infideles non posse quidquam boni facere*, non quodlibet intelligit bonum, sed bonum Pietatis, quod ad æternam felicitatem aliquo conferat modo, juxta Eius verba ad Julianum, *Scito, nos dicere, illud opus bonum sine gratia DEI, quæ per unum datur Mediatorem, nemini posse conferri, per quod solum potest homo ad æternum DEI donum regnumque perducì.* Et paulò post, *Hoc Amore opus est, ut bonum sit beatificum, &c.* Cum igitur hoc Augustino sit tantum opus bonum, reliqua veluti defectiva etiam vocat peccata. Sed multis modis facile potest ostendi, scribit Jansenius post Vasquezium, istam responsionem vel cavillationem potius esse imperitiosissimam doctrinæ Augustini, ab Eius mente remotissimam, indignamque, quæ à Viris doctis proferatur, primo, quia semper ad probandam suam sententiam utitur

utitur illo Scripturæ loco, *omne, quod non est ex Fide, peccatum est*; certissimum est autem, Apostolum ibi verissimum intelligere peccatum, sive Fides accipiat pro dictamine Conscientiæ, ut solent plerique, sive pro Fide, quâ fideles DEO dicimur, ut Augustinus & antiqui ferè volunt. Præmiserat enim Apostolus, *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex Fide*; causam autem reddit damnationis, quia, *quod non est ex Fide, peccatum est*, quæ falsa profectò & inepta ratio est, & ipsis respondentibus repugnans, nisi verum intelligatur peccatum, actus enim imperfectus seu moraliter tantum bonus secundum ipsos causa damnationis esse non potest. Undè dicit Augustinus, quod hanc peccati speciem, de qua Paulus agebat manducandi videlicet sine fide, generali sententia voluerit probare, mox inferens, *omne enim, quod non est ex Fide, peccatum est*. Quâ etiam de causa alterum Scriptura locum, *sine fide impossibile est placere DEO*, sic solet intelligere, & etiam propterea infidelium opera displiceant DEO, & voluntas, quæ tales facit fructus, excisione etiam puniatur; *qualis voluntas*, inquit Augustinus, *nullo dubitante Christiano est arbor mala, quæ facere non potest nisi fructus malos, id est, sola peccata*. *Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est, & ideo, quia videlicet non proferunt nisi peccata sola, DEVS arbores istas non potest diligere, & si tales permanferint, disponit excidere*, quia sine Fide impossibile est DEO placere.

Secundò, verum & propriissime dictum peccatum intelligi ab Augustino, perspicue patet ex Ejus scopo adversus doctrinam sui adversarii. Fatebatur enim Julianus disertissimis verbis, infidelium opera, de quibus ei cum Augustino erat disceptatio, ita esse bona, ut tamen per ea Vitam æternam non adsequerentur, sed mercedem duntaxat quandam temporalem. Hæc enim sunt ipsissima Juliani verba, quæ Augustinus refert & objicit sibi: *Sed responsurus es, inquit Augustinus, quid nisi vana? Ego, inquis, steriliter bonos dixi homines, qui non propter DEVM faciendo bona, quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam*. Et Paulò superius in eodem loco, cum dixisset, *Virtutum originem suam esse in animo, & omnes adfectus, per quos aut fructuose aut steriliter sumus boni, esse in subjecto mentis nostræ*. Horum igitur, addit Julianus, *adfectuum vis cum in sit omnibus matur aliter, non tamen ad unum finem in omnibus propter sed pro judicio voluntatis, cuius nutui serviunt, aut ad æterna, aut ad temporalia diriguntur: quod cum sit, non in eo, quod sunt, non in eo, quod agunt, sed in eo solo variant, quod merentur*. *Nec igitur nominis sui, nec generis possunt sustinere dispendium, sed solus, quod adpetiverunt, præmiis aut amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur*. Non posset Julianus ex sententia Iansenii manifestius declarare suam mentem de operibus istis moraliter bonis, de quibus agebatur; nempe, esse opera quidem bona à virtutibus naturalibus profecta, sed quia non referuntur ad DEVM, ad Vitam æternam consequendam nihil prodesse. Hoc est autem illud ipsissimum, quod Recentiores vocant peccatum latè sumtum vel improprie dictum, vel actum, qui nihil potest prodesse ad Vitam æternam. Et tamen Augustinus adseverantissime contendit, talia infidelium opera, quæ, quia ad DEVM non diriguntur, nihil ad Vitam æternam conferunt, non esse bona, & voluntates ea proferentes, quia confitente Juliano steriles erant, non posse arbores esse bonas, quia non profert arbor sterilis fructus bonos; ideoque excidendas esse & in Ignem mittendas. Augustinum audi, *Quapropter dici non potest, quantum te ista fallat opinio, quâ dixisti, omnes Virtutes esse adfectus, per quos aut fructuose aut steriliter boni sumus, adsequendo videlicet per illas vel non adsequendo Vitam æternam*. *Fieri enim non potest, ut steriliter boni sumus; sed boni non sumus, quidquid steriliter sumus, Arbor enim bona bonos facit fructus*. *Absit autem, ut DEVS bonus, à quo securis paratur arboribus fructum bonum non facientibus, excidat & in Ignem mittat arbores bonas*. *Nullo igitur modo homines sunt steriliter boni, sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali*. Quibus verbis iudice Iansenio significat manifestè, Virtutes huiusmodi, quæ non diriguntur in Vitam æternam, non esse bonas arbores, nec opera, quæ proficiunt ab illis, esse bona, sed tantummodò minus mala, & ideo Ignis supplicio excidenda. Unde de operibus istis, de quibus erat disputatio tota, repetit toties, esse peccata, quia *omne, quod non est ex Fide, peccatum est*.

II. c. 3.

*Tertio*, idem probatur evidentissimè ex circumstantiis loci, undè exorta est tota Controversia illa, qui est ex opere de *Nuptiis & Concupiscentia*, quem Julianus sumferat exagitantum, in quo expressè distinguit peccatum, quod in omnibus infidelium operibus volebat reperiri, ab aliis operibus imperfectè bonis, distinctionem collocans in eo, quod DEUS hujusmodi bonorum naturalium Author esse possit, peccati autem esse non possit. Hoc autem certissimum est, pergit *Iansenius*, non de peccatis latè sumtis, seu actibus moraliter bonis nihil ad Vitam æternam conferentibus intelligendum esse; nam ipsimet recentiores etiam consententur ac docent, DEUM hujusmodi peccata, ut cum ipsis ita loquar, per ordinis naturalis providentiam donare & procurare. Cùm ergo de pudicitia infidelium, quæ servare videntur thori fidem, illud Apostolicum pronuntiasset, *omne, quod non est ex fide, peccatum est*; ut probaret, non esse in illis donum DEI, sic suam de peccato mentem explicat: *Quis audeat dicere, donum DEI esse peccatum? Anima enim & corpus, & quæcunque bona animi & corporis naturaliter insita, etiam in peccatoribus DEI dona sunt, quoniam DEVS, non ipsi fecerunt ista; de his autem, quæ faciunt, dictum est, omne, quod non est ex Fide, peccatum est*. Et paulò post de commixtione conjugali tanquam bono naturali dicit, *Hoc tam evidens bonum cum infideles habent, quia infideliter utuntur, in malum peccatumque convertunt*. Quis enim, obsecro, ita porrò *Iansenius*, vel ignarissimus tyro Theologiæ, imò quis vel ineptissimus ac stolidissimus ex hominum vulgo commixtionem aliasque naturales actiones & corporis atque animi dotes vocet bona, quæ per se similiter ad Vitam æternam nihil omninò conferunt, nisi eò voluntate referantur, & tamen actus pudicitia conjugalis infidelium, si similiter sint boni, mala & peccata nuncupaverit, & quod hujusmodi actibus velut, ut ibidem loquitur, aliis peccatis alia peccata vincantur? Quæ verba carpens Julianus, & ex iis Pelagianam inferens doctrinam, scribit: *Perfacile igitur studio Sanctitatis, quod DEVS adjuvat, potest homo carere peccatis. Si enim vincuntur, inquit, peccata peccatis, quanto magis possunt virtutibus peccata superari*. Est autem certum, Pelagianos, cùm dicerent, hominem posse peccatis carere, & virtutibus peccata superari, peccata propriissimè dicta intelligere, cùm tamen Augustinus hoc neget, ac tantùm velit, peccatis aliis alia peccata vinci, ut necesse sit, & Julianum & Augustinum eadem illa vera peccata, non opera bona, licet imperfecta, in Augustini verbis intelligere, nisi velimus, utrumque inter se pueriliter in æquivocationibus ludere, quod manifestius ex Augustini perpetuâ phrasi ac doctrinâ potest declarari, docet enim in scriptis suis passim, omnes functiones naturales, imò etiam omnium Virtutum moralium officia, ut misereri pauperis, subvenire periclitanti, & similia, esse bona, & ex DEO proficisci, infidelium verò opera non esse bona. Id ubi pluribus ex utroque opere testimoniis iuxta confirmatum, quæ huc exscribere vitanda prolixitas nimia vetat, subnectit *Iansenius*; Hæc sanè demonstrant evidentissimè, longè aliter Augustinum de operibus, in quibus videntur infideles benè facere moraliter, quàm de ipsis officiis bonis, quibus utuntur, sentire & loqui. Ista quippè officia constantissimè proficetur esse bona in ipsis etiam infidelibus, dum faciunt ea, usum verò talium bonarum actionum & officiorum in infidelibus esse malum, & iis malè utendo converti in peccata; cùm tamen utrumlibet istorum, si vera sunt, quæ Recentiores tribuunt Augustino, similiter malum & peccatum latè sumtum dici debeat, quia nihil iis ad adsequendam Vitam æternam prodest, vel potius, ut ipsi loquuntur, & omnis vir non perturbatæ mentis loqui debet, utrumque bonum esse.

*Quarto*, si cui fortè ista nec dum satis perspicuè mentem Authoris indicant, ut sciat, quâ significatione peccati nomen usurpaverit Augustinus, sunt loca plurima & manifesta, quibus ubique uniformiter peccatum propriissimè dictum, hoc est, veram Injustitiam actumque supplicio dignum intelligere se proficetur, quæ iterùm ex operibus citatis numero satis copioso adduxit, ita porrò scribens; Nec quidquam facit ad infringendam tam manifestam Augustini doctrinam, quod adducitur ex fine disputationis illius, ubi dicere videtur, quod illud tantummodò bonum non possit sine Gratia ab infidelibus fieri, per quod homo potest ad æternum DEI donum regnumque perduci, hoc est, quod sit Pietatis & beatificum. Nam in illo loco duplex ab Augustino datur responsio, utraque adversus

adversus Julianum peremptoria. *Prima est fundamentalis*, radicemque tangens omnium, quæ contra Julianum disputans adseruerat, quod videlicet ad opus bonum seu sine peccato factum requiratur intentio bona, velut oculus operum universorum. Quapropter docet, eum, qui non facit opera bona (ex) intentione Fidei bonæ, hoc est, ejus, quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis operibus, velut membris constat, esse tenebrosum, hoc est, plenum nigredine peccatorum, Nam dilectio, addit *Iansenius*, seu Charitas Dei, quam ad opus sine peccato postulat Augustinus, non alia de causa est necessaria, nisi ut intendi possit rectus ac debitus & ex verâ sapientia præscriptus finis; neque Fides alia de causâ prærequiritur, nisi ut intentionem dirigat & gratiam impetret operandi, quæ secundum hypotheses *Iansenii* sunt intelligenda. *Alterâ responsio est ad hominem*, veluti sufficiens ad jugulandum Julianum. Dixerat enim expressè Julianus; se talia tantùm opera infidelibus tribuere, quibus à Deo vitam æternam non consequerentur; ista tamen esse opera verè bona, & sine ullo facta peccato. Hoc Augustinus, quamvis tota illa disputatione operosa subvertisset, in fine tamen arripit, non tanquam verum, jam enim falsissimum esse demonstraverat, sed tanquam sufficiens ad suum obrinendum scopum; cuius ratio est, quod bonum illud opus, de quo tota fuerat contentio, duas haberet juxta Augustinum conditiones, unum quod esset verè bonum, hoc est, nulla peccati labe pollutum, ad quod Julianus solam hominis naturam sufficere censebat, sicut & nunc Recentiores, Augustinus contrâ fidem adeoque amorem Dei veluti ad intentionem debiti finis omninò necessariam lex Christianæ Disciplinæ Regulâ statuebat; alteram, quod aliquid ad vitam conferret æternam, quæ conditio ex illa priorè pendet inseparabiliter. Fieri enim nullo potest pacto, ut opus, quod ex Fide & amore Dei nascitur, possit esse bonum, sicut prima postulabat conditio, & non etiam hoc ipso sit opus Pietatis, Justitiæ, cultus Dei, meritòrium, beatificum. Quæ namque præclarior Pietas, & Justitiâ, & cultus Dei, quid magis meritorium atque beatificum, id est, ad Beatitudinem aliquid conferens, quam Dei amor ex Fide: Ad hanc igitur conditionem secundam operis boni, quam Julianus non putabat, sicut nec Recentiores putant, cum opere verè bono seu non malo esse nexam indivulsè, fatebatur ipse cum Augustino Relationem ad verum Deum veluti ad finem operis, hoc est, dilectionem Dei esse necessariam. Sed inde concludit Augustinus propositum suum de Fide ad opus bonum necessaria, videlicet eò, quod non aliud ipse vocaret opus bonum, nisi quod hominem ad æternum Dei donum Regnumque perduceret. Non quasi per hoc admitteret, esse aliud genus operis verè boni seu non mali, (quomodo enim hoc admitteret, quod tota disputationis mole contriverat?) sed potius contrario, quod nullum omnino sentiret esse vel esse posse opus bonum, quin hoc ipso, sicut Fidem amoremque Dei velut sui principium postulabat, ita esset etiam pietatis & cultus Dei æternæque vitæ suo modo meritorium. Nam in ipso eodem loco, quo permittebat Juliano, ut ea vocaret opera bona & sine ullo facta peccato, tales dat rationes suæ sententiæ, ut iis probet vera esse peccata, *primò*, quia non facit ea voluntas bona, sed infidelis & impia; apud Augustinum autem impossibile est fieri bonum opus sine voluntate bonâ, id est, sine amore boni, quod apud eum est voluntas bona. *Secundò*, quia dicit, voluntatem illam esse sterilem apud Deum, & ideò non bonam. *Tertiò*, quia dicit, amorem Mundi, ex quo videlicet illa Juliani opera fluunt, non esse à Deo. *Quartò*, sine amore Creatoris, quem Julianus fatebatur non adesse in illis operibus bonis, neminem benè uti posse creaturis. Quid ergo fiet, nisi quod utetur malè, vel quod pejus est, fructur? Neutrum autem sine peccato fieri potest: Quid est enim non benè uti, nisi non rectè uti? Omne autem factum, si rectè factum non est, peccatum est.

Atque hætenus contra Bellarmini Responsum de peccato improprie dicto *Iansenius*, aliquanto prolixius quidem, sed ita tamen, ut omnes adversariæ parti rimas ad ulterius excipiendum voluerit præclusas efficacissimè. Nunc aliud proponit ex eodem *Suarezio* Responsum vel rectius ex præscripto lemmate effugium, videlicet, Augustinum quando dicit, omnia infidelium opera esse peccata, intelligendum esse regulariter ac moraliter loquendo, quia plerumque operentur ut infideles. hoc est, ex regulâ non rationis, sed erroris, adponentes aliquem perversum finem; atque ita questionem esse de facto potius, quam de jure, hoc est, quid plerumque soleat

contingere, non autem, quid subindè, quamvis rarius, possit fieri, si operari vellent purè negative, sine Fide, & non contrariè ex infidelitate. Hac solutio non nullis perplacet, scribit *Iansenius*, cum tamen magis fortassè Augustino & principiis quibus nititur, quàm præcedens repugnare videatur. Nam quamvis sit verissimum, quodcumque aliquid boni videntur infideles agere, semper adesse finem malum, de ultimo actionis fine loquendo, hoc tamen unicum sufficit Augustino, ut omnia ipsorum opera sint peccata, quod negativè non referuntur, neque referri possunt ad illum, ad quem omnis actio creaturæ Rationalis debet referri. Quem negativum exprimendi modum tam accuratè & sæpè servat Augustinus, ut nemo Scholasticorum, qui præcisos loquendi modos in enodandis difficultatibus sequi solent, præcisius fuisse locutus, & Augustinus de hoc ipso scrupulosissimè videatur fatagere. Nam in ipso loco, qui totius Controversiæ de ista

l. c. g.

quæstione cum Juliano fuit exordium, in opere nimirum de *Nuptiis & Concupiscentia* ipsam quæstionem purè proponit negative: Utrum eo peccare sint dicendi, nimirum infideles, quod Dei dono utantur malè, non id referentes ad ejus cultum, à quo acceperunt? Ita ut tota controversiæ difficultas in eo fuerit sita, utrum Fides debeat adesse ad hoc, ut fiat aliquod opus bonum, ipsaque sola ac nuda finis illius absentia, qui Fide intentionem dirigente proponitur, sufficiat, ut sit opus malum? Quam quæstionem statim resolvit Augustinus adfirmativè, & inculcat sæpissimè, hoc ipso, quo non adest finis ille debitus, qui est verus Deus, & Fide per dilectionem operante intentionemque finis dirigente debet proponi, opus esse malum. Hoc probat statim in ipso ingressu tribus scripturis, solam negationem Fidei Deo inhaerentis culpantibus, quas identidem & ferè solas, & velut invictas tota

Rom. 14.  
Ebr. 11.  
Ps. 72.

disputatione illa repetit & inculcat: *Omne, quod non est ex Fide, peccatum est. Et, Sine Fide impossibile est placere Deo.* Et iterum, *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Nam non esse ex Fide, esse sine Fide, fornicari seu apostatam esse à Deo, manifestissimè nihil aliud, quam negationem Fidei vel Dilectionis ei coherentis denotant, nec ullo etiam modo ex mente Apostoli & Prophetæ postulant, ut contrariè locutiones istæ intelligantur; Augustinum verò eas sic semper intelligere, solamque Fidei absentiam velut malæ operationis originem causamque sufficientissimam peccati inculcare, plurima ipsius & apertissima testimonia sine ulla ambiguitate declarant. Horum aliqua ubi ex hoc opere de *Nuptiis & Concupiscentia* adduxit *Iansenius*, pergit: Prosequitur eisdem negativos exprimendi modos accuratissimè in continuatione illius Controversiæ cum Juliano. Nam cum longà con-

l. 4. c. 3.

certatione probasset adversario suo, nullam esse posse, sine Fide Virtutem veram aut opus bonum, totius solutionis cardinem tangis præcisissimè: Quia cum non ad suum referantur Authorem dona Dei, hoc ipso male iis utentes efficiuntur injusti. Quis, quæso, Philosophus vel Theologus, quantumcunque in pulvere Scholasticarum contentionum & argutiarum tritus, brevius, præcisius, & significantioribus verbis posset nodum tangere, & ultimas quæstionis fibras præcidere? Hoc ipso, inquit, quo non referuntur; id est, hoc ipso, quo Fide, opus ad Deum referente carent, efficiuntur injusti. Quam eandem acutissimam istius enodandæ quæstionis rationem ubique penè scrupulosissimè observat. Id ubi pluribus iterum ex hoc ipso contra Julianum opere, ut & aliis tam Dogmaticis, quam Polemicis (quod contra *Stapletonum* notari potest) scriptis confirmavit prolixissimè, ita porro scripsit *Iansenius*: Hæc aliaque plura, quæ proferri possunt perspicuè, nisi multum fallor, demonstrant, utrum tota illa moles Doctrinæ, quam de omnibus infidelium operibus tradidit; de infidelibus ex regulâ erroris, seu ex infidelitate, aliave pravâ intentione operantibus tantum sit intelligenda, ideoque regulariter & moraliter, ut ipsi loquuntur, tantum vera? Mentem quippè suam quæ sentit, omnia omnino opera infidelium nullo excepto vera esse peccata, nec esse posse nisi peccata, tantâ declaravit manifestatione, ut si Solis radiis eam scribere voluisset, vix arbitror illustrius eam depingere nobis potuisset. Repetit enim creberrimè, constantissimè, maximâ præcisè loquendi circumspectione: *Hoc ipso, quo dona Dei non ad suum referuntur Authorem, injustos fieri; hoc peccari, quod sine Fide non ad Deum sua retulerunt opera. In quantum non est ex Fide, peccatum esse; de tali opere non in Domino gloriari, solum impium negare esse peccatum.* Et si officio

*officio videatur bonum, ipso sine non recto peccari.* Et hujusmodi plura. Dicit porro, cum quis aliquid non propter hoc facit, propter quod facere debet; si opus fiat non propter hoc, propter quod fieri debere vera precipit sapientia; si infideles opera non ad eum referant finem, ad quem referre debuerunt, hoc ipso peccatum esse. Addit iterum Iansenius, Hunc finem, ad quem opera infidelium referri debere veramque sapientiam precipere, ut referantur, satiatissimè & expressissimè docet esse unicum & verum Deum; ad illum velut animæ oculum esse referendam intentionem, illam fide dirigi. Quod amplius ab Augustino, à me ipso, vel ab ullo homine postulari potest, ut explicet mentem suam, nec regulariter suam doctrinam, sed formaliter, univèrsaliter, sine ullà exceptione, tanquam quæ principis univèrsalibus exceptionem nullam admittentibus nitatur, intelligendam esse declarat? Nec enim arbitror, in omnibus Aristotelis aut Platonis operibus, quibus tanquam Philosophis circumspectum præcisumque loquendi modum tribuunt Scholastici, vel etiam in ipsius Augustini lucubrationibus univèrsis ullam omnino quæstionem iri repertum, in quâ tanta, tam crebra, tam constans, tam uniformis loquendi formalitas sit usurpata, quàm in istâ de operibus infidelium, ut sanè nullo illustriori indicio convinci possit, recentiores illos ab Augustini doctrinâ recessisse, à cujus laqueis non nisi elusionibus tam futilibus, & mirâ totius Doctrinæ & principiorum ipsius perturbatione queunt evadere.

Quod verò, ita portò Iansenius, rationes Augustini frivolas in eo sensu generali esse queritur citatus Author, Suarezius & tanto indignas ingenio, mirabilesque verborum continere æquivocationes, hominis non satis rem penetrantis sunt voces; Augustini enim doctrinam à sensibus ipsius plerumque disjunctissimam non tantum, salva ejus pace, non intelligit, sed vix quisquam scriptorum recentiorum facile reperietur, qui suis eam argutiis perturbaverit magis, & minus sit adsecutus. Nam in plerisque, quæ tanquam absurda & incredibilia ex eâ sequi arbitrat, fallitur. Vera sunt, quæ ipse putat falsa, homines ante Fide operis boni incapaces, & Gratia bonæ voluntatis operatrice penitus esse destitutos; quia voluntas seu volitio bona, sine quâ impossibile est esse bonum opus, incipit à Fide, sic ut Augustinianorum sensum peritis esse indubitatum. Verum est iterum, quod ipse putat incredibile, intentionem commodi temporalis, quantumcunque regulatam ratio, nisi ratio præfigat operi suo finem Deum, esse malam; voluntarem esse superbam, quæ seposito Deo sola ista quasi honestate morali delectatur. Verum est etiam, rationem Augusti nullam verborum æquivocationem continere, qua fiat Syllogismus in quatuor terminis; ratio enim Augustini est, *Cujus animus à Deo fornicatur, non potest esse veraciter pudicus corpore. Sed animus infidelis fornicatur à Deo. Ergo non potest esse veraciter pudicus corpore.* Quænam hic umbra quatuor terminorum? quod vestigium æquivocationis? Fornicatio enim semper eodem modo sumitur pro spiritali illâ fornicatione, quæ fit, dum animus recedit à Deo, maximè per infidelitatem. Nam quamvis omnis animæ corruptio, quæ fit per concupiscentiam rerum creatarum, soleat dici fornicatio; *corruptionem tamen multitudinis Deorum simulatorum sæpe ac propriè scriptura vocat fornicationem,* ut Augustinus ait in opere de Doctrina Christianâ. Quod si etiam generalissimè fornicationem intelligamus esse omnem corruptionem DEI casto amori contrariam, quâ conglutinatur anima velut creaturis beanda, etiam hic Augustini ratio est vera formaliter, hoc est, doctrinaliter intellecta. Nullius enim corpus potest esse veraciter pudicum, hoc est, nullum opus ejus erit opus veræ pudicitæ, cujus animus, dum operatur, est averfus à DEO. Nam sicut nullum opus est Justitiæ, nisi DEUS, qui Justitia est, diligatur; ita nullum est opus pudicitæ, vel bonitatis, vel castitatis, vel Veritatis, vel ullius veræ Virtutis, nisi DEUS, qui est ipsa vera & suprema & simplicissima pudicitæ, & bonitatis, & castitatis, & Veritatis omnisque virtutis forma diligatur.

Hoc enim modo & hac de causa fit, ut nullum sit vel esse possit opus verè bonum, si Deus non diligatur gratis, hoc est, si non ad ipsum intentio referatur per Fidem. Ratio igitur Augustini est optima, sine æquivocatione syllogismus per quatuor terminos vitiantem, prout nimis trivialiter Doctore tanto objicitur; neque diversa est ab illâ, quam to-

ties inculcavit, sed aliis tantum S. Scripturæ vocabis, quibus ipse delectari solet unice, explicata. Ex quo & illud evanescit, quod Augustino velut obicitur, ejus rationes æque de omnibus procedere peccatoribus. Nam quamvis ex ejus mente sit verissimum, opera peccatorum omnium, imò justorum etiam, quæ non ad eum referuntur finem, ad quem referri debent, hoc est, ad DEUM, sed in creaturis hærent, vera esse peccata; quod Author ille, *Suarezius*, non perspectis Augustini principiis, sed ex gentili Philosophia de morali honestate operum bonitatem metiens esse putat incredibile, falsum est tamen, eandem de peccatoribus fidelibus, quam de infidelibus esse rationem. Hoc ipso enim, quo peccatores Fide sunt imbuti, quamvis illa charitate perfecta DEUM super omnia diligente, hoc est, Justificatione sint destituti, multa tamen bona ex illa Fide possunt operari, sicut est in primis ipsum credere & operari velle, & si adhuc viribus careant, suam ingemiscere infirmitatem, ex fide Justificationem vel operandi vires impetrare, cujusmodi opera peccatoribus semper tribuit Augustinus. Undè illa solennis ejus sententia creberrimè repetita, *Quod lex imperat fides impetrat. Et illa, Gratiam bene operandi Fides meretur.* Et illa, *Fide impetrant Justificationem.* Et illa, *Nec ipsa peccatorum remissio sine aliquo est merito, si fides hanc impetrat.* Neque enim nullum est Fidei meritum, quæ fide dicebat ille, *DEVS, esto propitius mihi peccatori.* Et illa, *Fides orat, quæ data est non oranti; quæ utique nisi data esset, orare non posset.* Et hujusmodi innumera, quæ cum sint opera nemine dubitante bona, imò Gratiæ meritoria, (NB. receptis iterum hypothefibus inservit *Jansenius*) nec ab illo infideli possint fieri, nimis ineptè dicitur, eandem esse rationem omnium peccatorum. Nam quod Augustinus in eadem contra Julianum disputatione dicit, *Absit, ut sit in aliquo vera Virtus, nisi fuerit justus, nisi vivat ex Fide &c.* vera sunt, sive de perfecta Justitia, hoc est charitate DEUM super omnia diligente, sive de imperfecta sermonem esse sentiamus, nec tamen de peccatoribus fidelibus & hominibus infidelibus eandem statuunt rationem. Julianus enim non solum in hoc errabat, quod infidelibus opera non nulla bona tribueret, sed in eo quoque, quod virtutes eis ita perfectas daret, ut eos & verè justos esse diceret, & propter veram Justitiam extra damnationem sempiternam futuros. Cum enim Augustinus omnes illos damnatione plectendos, & quamvis disparibus pœnis puniendos tamen esse diceret, scribens, *Minus enim Fabricius quam Catilina punietur*, respondens inducitur Julianus tanquam stomachabundus, *Erunt ergo in damnatione sempiterna, in quibus vera erat Justitia?* cui Augustinus, *o vocem impudentia majore præcipitem! Non erat, inquam, vera in eis Justitia, qui non actibus, sed finibus pensantur opera.* Et in præcedentibus adversus illam ejus dementiam increpans dixerat, quod non audiret scripturam dicentem; *Qui dicit, impium esse justum, maledictus erit.* Itemque, *Quid remansit, quod Gratiæ reservemus in tam evidentibus, quibus dixisti eos abundare, virtutibus?* Denique, *Quis porro eorum, qui Christianos se volunt haberi, nisi Pelagiani soli, aut in ipsis etiam forte tu solus, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium, justum dixerit Diabolo mancipatum?* Undè ex ejus principiis infert Augustinus, eos etiam ad Regnum Cælorum admittendos esse, addens, *per quod enim vera Justitia, per hoc etiam Regnum DEI. DEVS namque, quod absit, ipse injustus erit, si ad Regnum verus non admittitur justus.* Adversus hanc ergo opinionem nimis exorbitantem, quæ infidelibus tam perfectas evidentesque tribuebat virtutes, ut nihil omninò Divinæ reservaretur Gratiæ, ut extra damnationem sempiternam, & idcirco, ut ex ejus opinione infert Augustinus, etiam in ipso DEI Regno collocandi essent, scribit rectissime Augustinus, *Absit, ut sit in aliquo vera virtus, tantæ videlicet perfectionis, nisi fuerit justus;* qualis profecto virtus nec in fidelibus peccatoribus reperiri potest, quia talis non est nisi perfecta charitas, vel certè ab istâ charitate disjungi nequit. Quod si verò Augustinum de imperfecta Justitia velimus esse locutum, quamvis hoc minus propter ea, quæ diximus, sit verissimile, res nullam continet difficultatem; tali quippe Justitia, hoc est, imperfecto quodam amore DEI carent profus impij seu infideles, non autem fideles, quantislibet fuerint mancipati peccatis. Nam hoc ipso, quo fideles adhuc permanent, non possunt non habere illum veræ pietatis adque dilectionis affectum, ex quâ credunt DEO; ex qua sperant subindè beatitudinem, ex quâ orant pro impetrandâ perfecta charitate ac Justitia, ex quâ & alia non nulla bona sincero DEI intuitu operantur, quamvis necdum ita diligant, ut eum omnibus terrenis amoribus ac delecta-

delectationibus præferant. De tali amore DEI imperfecto, non ut ille recentior implicito & intentione boni honesti seu moralis alicujus honestatis involuto philosophicè imaginatur, sed de vero & formali amore DEI loquitur Augustinus in eodem loco, cum dicit, *sine hoc amore Creatoris nullus quisquam utitur bene creaturis*, nempe, sive fidelis, sive infidelis, sive justus, sive peccator, nec tamen de utrisque eadem est ratio. Fidelis enim peccator etiam tali amore DEI seu intentione in operibus quibusdam caret nequaquam; quâ si careret, neque Fidem, neque spem, neque ullam omninò posset habere bonam voluntatem. Nam, ut sæpius docet Augustinus, *ubi est initium Fidei, etiam est initium bonæ*, hoc est, piæ voluntatis de quâ similiter in libro de gratia CHRISTI dicitur, *Quasi verò aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam scriptura nobis esse clamat ex DEO*, non illa charitas solum perfecta, sed etiam imperfectissima dilectio DEI seu complacentia, quæ charitatem illam vulgo, notam & super omnia diligentem prævolat, & omnem inchoat Justitiam, juxta Augusti illud, *Charitas inchoata est inchoata Justitia, charitas provec̄ta est provec̄ta Justitia*, ex libro de Natura & Gratia.

Et hæc iterum Iansenius de Augustini sententia contra Saarezium ad defensionem testimoniorum, quæ infidelium opera vocant expressè peccata. Nam recreditur ad Bellarminum, & eadem prolixitate respondet è contratio ad ea Augustini loca, quibus ex opinione Bellarmini & aliorum visus est adserere opera moraliter bona in infidelibus, ut ut ordine Bellarminiano non semper observato. In primis, inquit, proferunt loca de Cornelio Centurione ex libro de Prædestinatione & opere de Baptismo. At, subjungit, ista nimis est somnolenta Augustini lectio, ut ex hujusmodi locis probetur, sine Fide fieri posse opera bona non nulla. Testatur enim Augustinus in ipso de Prædestinatione libro, qui citatur, & in aliis pluribus, Cornelium nullo modo fuisse infidelem, sed Fide jam Divinitus infusa in DEUM credidisse, & ex eâ Fide errasse DEUM, in quem crediderat, & Eleemosynas erogasse, quamvis in CHRISTUM JESUM sibi non adnuntiaturum nec dum credidisset. *Solet dici*, inquit, *ideo credere meruit, quia vir bonus erat & ante-quam crederet; quod de Cornelio dici potest, cujus acceptæ sunt Eleemosynæ & orationes exaudite ante-quam credidisset in CHRISTUM. Nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat? Sed si posset sine Fide CHRISTI salvus esse, non ad eum adificandum mitteretur archidæctus Petrus apostolus. Et paulo post, Quidquid igitur & ante-quam in CHRISTUM crederet, & cum credidisset, bene est operatus, totum DEO dandum est, ne fortè quis extollatur.* Et expressius exactiusque in opere ad Simplicitatem incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit DEO credere, vel interna vel externa admonitione motus ad Fidem. *Sed interest, quibus articulis temporum vel celebratione Sacramentorum Gratia plenior & evidentior infundatur. Non enim Catechumeni non credunt, aut verò Cornelius non credebatur DEO, cum Eleemosynis & orationibus dignum se præberet, cui mitteretur Angelus. Sed nullo modo ista operaretur, nisi credidisset ante.* Et iterum post pauca: *Sed in quibusdam tanta est Fidei gratia, quantæ non sufficit ad obtinendum regnum Cælorum sicut in Catechumenis, sicut in ipso Cornelio, antequam participatione Sacramentorum incorporaretur Ecclesie.* Ecce, addit Iansenius, ex qua fide Cornelius oravit & Eleemosynas fecit; nimirum ex Fide Divinitus per veram gratiam datâ, ex quâ & Catechumeni credunt, & sæpe numero benè quoque operantur, etsi neutra sine regeneratione sufficiat ad salutem. Undè de eadem fide Cornelii: *Fiunt ergo inchoationes quadam Fidei conceptionibus similes. Non tamen concipi solum, sed nasci etiam est opus, ut ad vitam perveniant æternam. Nihil horum tamen sine gratia Misericordie DEI, quia & opera, si quæ sunt bona, illam consequuntur gratiam, non præcedunt.* Quapropter, ita iterum subdit Iansenius, Cornelii justitia neque peccatum fuit, nec sine Fide & verâ gratia fuit, & nihil ad præsens propositum facit, ubi de operibus infidelium est disceptatio. Nam Cornelius, qui ex Judæorum conversatione DEUM verum cæteraque vitæ futuræ mysteria videtur didicisse, similis fuit reliquis Judæis probis qui mortem CHRISTI atque resurrectionem nondum statim in aliis gentibus perceperant; hi enim & credebant in DEUM, & in Mediatorem DEI & hominum, & ex illa fide orabant, & nonnulla bona opera faciebant, quamvis in CHRISTUM JESUM jam crucifixum pro salute humanâ nondum credidissent, & hujusmodi Fides eis esset necessaria.

Hæc

Epist. 130.

lib. 4. c. 3.

Hæc de primo Augustini testimonio, sequitur locus ejusdem alter, quem Bel-  
larminus in prima collocavit acie, de *Polemone*, quem Xenocrates ebrium in Scho-  
las suas ingressum de fruge Temperantiæ disputando in alios mores repente convertit,  
cujus continentiam Augustinus vocavit donum DEI, scribens, *Et ne id ipsum qui-*  
*dem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed Divino.* Janſenius  
respondet, illam Polemonis continentiam fuisse bonam, sed non opus bonum, cu-  
jusmodi hic postulatur, hoc est, sine omni peccato omninò ex omnibus circum-  
stantiis; defuit enim circumstantia finis ultimi, hoc est, DEI ex Augustini mente  
superius explicata, quæ quam maximè est necessaria. Bona ergò fuit ista Con-  
tinentia, sicut & non occidere, non adulterari, misereri pauperis, mutuum dare,  
& hujusmodi sine fine officia bona sunt etiam tunc, quando non bene fiunt ab homi-  
nibus malis; Recti enim finis absentia & perversi presentia non facit, ut ipsum  
officium in se spectatum non sit bonum, idcirco enim à DEO præcipiuntur, quia  
sunt bona. Augustinum audiamus ex opere contra Julianum: *Quidquid boni fit ab*  
*homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera præcepit sapientia, etsi*  
*officio videatur bonum, ipso sine non recto peccatum est.* Et iterum, *possunt ergò ali-*  
*qua fieri bona, non bene facientibus, quibus fiunt.* Et declarat exemplo, *Bonum est,*  
*ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti. Sed ille, qui facit hoc, si aman-*  
*do magis gloriam hominis, quam DEI facit, non bene bonum facit.* Et in eadem rur-  
sus dissertatione, *si & ipsa Misericordia per se ipsam naturali compassione opus est bonum,*  
*isto etiam bono male utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum male facit, qui infideli-*  
*ter facit.* Quâ phrasi Augustinus ex observatione Janſenii & adulterorum commi-  
xionem sapius vocat bonum, & omnem creaturam DEI bonam. Bona igitur fuit  
illa conversio animi Polemonis à luxuria ad Continentiam, sicut bona est animi con-  
versio ab irâ ad mansuetudinem, à voluntate nocendi ad favendi voluntatem, à prodi-  
tione ad fidelitatem & à quibusq; vitiis ad virtutem. Sed utrum qui illa faciunt, continuo  
ex omni parte, etiam finis, ex quo faciunt, bene faciant, aliâ est quæstio. Nam sicut in re-  
bus naturalibus oculus semper bonus est & tibia bona, etsi cæcitas & claudicatio ad-  
junctæ non sint bona, quia bonum bono melius est, & irreprehensibile est, quod  
omni malo conjuncto caret; ita bonum est non occidere, non adulterari, à luxu-  
ria continere, & supplicio digni sunt, qui non faciunt, sed melius est ista etiam  
recto fine præstare. Hæc igitur ex causa, ita pergit Janſenius, cur etiam ista DEI  
dona adpeller Augustinus, & adpellari debeant. Si enim DEI donum est ille animi  
status, quo aliquis ex naturâ non est ad luxuriam aut alia non nulla vitia pronus, sic-  
ut hoc Augustinus docet sapius, & præcipue loco citato ex opere contra Julianum;  
quanto magis DEI donum vocari debet, quod animus alicujus ex imperio libidinis  
illius jugo ad continentiam reflectatur. Hinc in eadem Epistolâ, ut exponeret no-  
bis, cujusmodi hoc esset DEI donum, & quomodo Continentiam illam non huma-  
no operi tribueret, sed Divino, ita subjicit: *Ipsius namque corporis, quod est infir-*  
*mitas nostrum, si quæ bona sunt, sicut forma, & vires, & salus, etsi quid est ejusmodi,*  
*non sunt nisi ex DEO Creatore ac Natura perfectore.* Quanto magis animi bona donare  
nullus potest alius. Quid enim superbius vel ingratius cogitare potest humana ve-  
cordia, si putaverit, cum carnè pulchrum faciat DEUS hominem, animo castum  
fieri ab homine? Et in loco jam citato ex opere contra Julianum, cum docuisset,  
judicio DEI tribuendum esse, quod aliquis mala naturalia, ut libidinis iracundiæ &c.  
magis minusve perpetitur, ad comprimendum Julianum, qui Philosophos ethnicos  
sola voluntate suâ virtutes sibi peperisse statuebat, *Quanto tolerabilius ergo, inquit,*  
*illas, quas dicis in impiis esse virtutes, Divino potius muneri, quam eorum tribueris*  
*tantummodo voluntati!* Et paulò ante, *Quanto satius hæc ipsa in eis dona DEI esse fa-*  
*tereris, sub cujus occulto judicio nec injusto alii fatui, alii naturâ leves, alii spade-*  
*nes &c.* Hinc est, quod in eodem loco illud ipsum opus bonum, seu potius offi-  
cium illud bonum, etiam tum, cum ab infidelibus malè fit, Divino adscribit mu-  
neri. Dicit enim, *hoc opus DEI bonum esse, à quo etiam per malos fit bonum; ac*  
*per hoc nec ejus, hominis nimirum infidelis, iste fructus est dicendus.* Cujus igitur  
tutur, si non infidelis, qui facit illud? *Sed potius bonum opus est illius, inquit, qui*  
*etiam per malos bene facit.* Et iterum in eundem sensum: *Ex quo colligitur,*  
*ipsa*

*ipsa etiam opera bona, quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui malis utitur bene.* Sicut igitur, *Jansenius* ita subsumit, ex hoc, quod opera illa bona, quæ infideles faciunt male, Divino muneri tribuit Augustinus, perperam colligitur, illa esse opera sine omni labe peccati, cum ipsemet contrarium in eodem tradat loco, ita perperam colligitur, continentiam *Polemonis* vel cujuscunque infidelis opus esse bonum omnis expertis labis, eo, quod Augustinus illud munus, aut Dei donum, aut opus Dei nuncupet, Deus enim sapius operatur bona, etiam non bene operantibus illis, per quos operatur.

Nec verò, continuat sic discursum *Jansenius*, ex istis Augustini phrasibus suspicetur aliquis, cum hujusmodi non nulla Philosophorum opera Divinæ Gratiæ, quæ bonas facit voluntates, adscribere, Deus enim multis modis animi motus & opera quædam quasi bona in hujusmodi hominibus, itemque peccatoribus Christiana facit, (NB. Et hæc intelligi debent sensu saniori) quæ tamen non per illam facit Gratiæ, quæ ad opera verè & ex omni parte bona est necessaria. Quædam enim operatur terrore animum percellendo, eumque revocando à proposito malo; quædam alia non nulla terrena & innoxia bona proponendo; quædam concupiscentias mitigando, Diabolum compescendo, animum divertendo, aliisque plurimis & occultis modis. Id ubi ex Homilia de Peccatrice illustravit *Jansenius*, subnectit: Sunt ergò istius modi magna Dei beneficia ac dona, quibus homo à multis gravissimis pœnis liberatur, sed non ex illa occultâ Gratiâ proficiuntur, quæ voluntatem ex malâ facit bonam, & à Fidei initio incipit dari. Unde non propterea desinunt ista opera fieri cum peccato, non quatenus fiunt in homine, sive suadente, sive terrente, sive aliis modis movente Deo, sed quatenus ex humanâ voluntatis defectu non fit in eo plenè bonum, voluntate adhuc alicujus creaturæ, sive sui ipsius, sive alterius cupiditate possessa, qua fit, ut quamdiu permanet infidelis, non illud in eum referat finem, quo referre tenebatur.

Atque hæc etiam ad secundum ex Augustino locum *Jansenius*, ita porrò ad tertium scribens: Quæ si vera sunt, sicuti sunt ex mente Augustini verissima, jam non erit difficile, alia non nulla intelligere loca, quæ non satis perspecto doctrinæ sanctissimi Doctõris filo obijciuntur à non nullis; inter quæ imprimis est, quod, cum Cælestius, ut probaret, non esse *Misericordiæ Divinæ, ut aliquis velit*, illum Apostoli locum adferret, *Quod vult faciat*, ubi videlicet de nubendo erat sermo, Apostolo subjiciente, *Non peccat, si juber*; Quasi, inquit Augustinus in libro de Perfectione Justitiæ, pro magno habendum sit, nubere velle, ubi de *Adjutorio Divinæ Misericordiæ disputatur operosius*. Quibus verbis non hoc vult, subnectit *Jansenius*, quod sine Gratiâ possimus velle nubere sine peccato, sed hoc, quod non rectè Cælestius impugnet Gratiæ necessitatem, ex eo, quod mulier possit sine Gratiâ velle nubere. Quis enim dubitet, non opus esse Gratiâ, ut Virgo nubere velit, cum hoc & plurimi velint peccando? Ad hoc ipsum tamen opus naturæ providentiam naturæ congruam postulat Augustinus scribens: *Aut verò etiam ibi prodest aliquid velle, nisi Deus providentia, qua gubernat omnia, Matrem feminamque conjungat*; nimirum, ita addit porrò *Jansenius*, juxta principium ejus jam aliquoties inculcatum, quo & com-  
mixtio adulterorum, ex opere contra Julianum, & copula Maris ac feminæ infidelium, ex opere de *Nuptiis & Concupiscentia*, & ipsa officia bona, ex eodem opere contra Julianum, quæ ab infidelibus fiunt cum peccato, sunt opera DEI bona per homines malos. Neque refert quidquam, quod Apostolus addat, *Non peccat, si nubet*; objectum actus enim explicat, non quaslibet circumstantias, quæ ab animo nubentium adponi possunt ac solent. Hac phrasi ibidem dicit Apostolus, *Bonum est non tangere Mulierem*; nec tamen ideo statim sine peccato non tangitur, ut nimis notum est. *Quidam enim non adtingunt suas etiam uxores, dum quasi mundi per Artes magicas pervenire moluntur ad uxores alienas*, uti in libro de *Continentia* scribit Augustinus. Hac phrasi idem docet, amores hominum, quibus parentes, uxores, liberi, ceteræque carnis necessitudines diliguntur, esse licitos, quamvis non propterea statim amor ille, quandocunque fit, sine peccato exeratur. Solùm enim istis loquendi modis declaratur, amorem ex objecto esse licitum, imò ita præceptum, ut reprehendendus sit ille, qui tali caret amore; non tamen laudandus statim, qui non caret. In hujus confirmationem ubi prolixum

1. Cor. 7.

cap. 19.

1. 3. c. 7.

1. 1. c. 4.

1. 4. c. 3.

lixum ex sermone quodam de Tempore adduxit *Iansenius*, subdidit porrò: Amores igitur isti etiam carnales dicuntur liciti, imò tam severè præcepti, ubi eos non habere sit illicitum. Detestandus est enim, qui non amat conjugem suam & filios, eis beneficia conferendo, quamvis carnalia. Sed non negatur istis phrasibus, aliquid amplius hic & nunc adesse debere, ut actus amoris omninò sine omni peccato fiat ex parte. Quando enim duo ad actum aliquem omninò requiruntur, ut bonus sit, officium & finis, hoc est, actus bonus & rectus facientis animus, dicimus rectissimè, utrumque esse licitum, utrumque præceptum. Non tamen idcirco putari debet, cum alterum adhibetur seorsim altero neglecto, non peccari. Non enim peccatur, quia bonum adest officium, peccaretur enim potius, si non adesset; sed quia deest finis bonus seu intentio bona. Sic nunquam aliquis reprehendi debet, quod suos diligit filios, vituperandus est enim, qui non diligit; sed vituperandus est, qui non recti vel debiti finis intentione diligit. Bonum enim ex integra nascitur causa, ex singulis defectibus malum; quamvis non propterea reprehendi debeat id, quod superest, bonum propter id, quod ei adjungitur malum, dum malè fit bonum, pejus enim esset longeque culpabilius, si non fieret. Ideoque non solum Catholici, sed & hæretici ac pagani sunt monendi, rogandi, jubendi, cogendi, ut hujusmodi bona faciant, etsi ex defectu veri finis semper malè facerent; longè quippe vituperabilius delinquerent, si non facerent. Nam laude dignum est, id facere, quod tenemur; sicut vituperatione dignum est, finem prætermittere, cuius intuitu præstare jubemur.

Ita ad tertium ex Augustino locum à Bellarmino commendatum *Iansenius*, qui postquam prolixè iterum ostendit, eodem sensu docuisse Augustinum in libro de *Patientia*, nullo modo culpandam, imò verò & laudandam esse Patientiam, ad aliud quoddam progreditur Augustini testimonium, quo *Suarezius* in hoc argumento est usus, quod in *Expositione quarundam Propositionum Epistolæ ad Romanos* legitur verbis sequentibus: *Liberum ergo arbitrium perfectè fuit in primo homine, in nobis autem ante gratiam primam non est liberum arbitrium, ut non peccemus, sed tantum, ut peccare nolumus. Gratiæ verò efficit, ut non tantum rectè velimus facere, sed etiam possumus.* Hic inquit, de recentioribus scribit *Iansenius*, tribuitur homini adfectus non peccandi

ante gratiam, qui sanè honestus est, & ex cogitatione pravitatis peccati vel honestatis (propositæ) Virtutis procedit. Respondet autem *Iansenius*, qui hoc obijciunt, attendere debuissent, in eodem libro dici à sancto Augustino: *Tunc, ante gratiam, peccatis vincitur, dum viribus suis justè conatur vivere sine adjutorio liberantis gratiæ Dei: liberum autem arbitrium habet, ut credat liberatori, & accipiat gratiam, ut jam illo, qui donat eam, liberante & adjuvante non peccet.* Et istud, *Non elegit Deus opera cuiusquam in præscientia, sed Fidem elegit in præscientia, ut quem sibi crediturum esse præstitit, ipsum elegerit, cui Spiritum Sanctum daret, ut bona operando &c.* Et ibi porrò,

*Quod credimus, nostrum est; quod autem operamur bonum, illius est, qui credentibus in se dat Spiritum Sanctum.* Eciterum, *Si vocatus ad Fidem secutus fuerit vocantem, quod jam est in libero arbitrio, meretur & Spiritum Sanctum, per quem bona possit operari.*

In omnibus istis locis, addit *Iansenius*, idem significat Augustinus, hominem videlicet ante Gratiam ex peccato eatenus esse vulneratum, ut non possit operari bonè & à peccatis temperare; mansisse tamen aliquid virium in arbitrio libero, quo possit saltem credere, & velle non peccare, & bonè operari, propter quam Fidem beneque vivendi voluntatem Deusei conferat Spiritum Sanctum, quo re ipsa non peccet, & bonè operetur. Nam ideò in eodem loco utrumque tam credere, quam velle conjungit. Cum enim dixisset, *Non ergò elegit Deus bonè operantes, sed credentes potius, ut ipse illos faciat bonè operari;* pro ratione subjungit, *Nostrum est enim credere & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bonè operandi per Spiritum Sanctum.* Eciterum paulo inferius, *Non tollit, Apostolus, liberum voluntatis arbitrium, sed non sufficere dicit velle nostrum, nisi adjuvet Deus, misericordes nos efficiendo per Spiritum Sancti donum ad bonè operandum.* Hæc ergò & hujusmodi loca, advertit iterum *Iansenius*, si recentiores isti attenderent, intelligerent sanè, ex errore *Semipelagiano*, quo Augustinus ante suscepti Episcopatus sarcinam laborabat, ista promanasse; istius enim erroris proprium fuit, quod homo ante gratiam ex felicitatis primævæ reliquiis posset credere, & velle non peccare ac bonè vivere, quæ tamen voluntas propter imbecillitatem esset adjutorii

Gratiæ

Gratiæ liberatrici adjuvanda, ut id, quod bene vellet, etiam re ipsâ posset efficere. Sed Augustinus errorem istum DEO revelante dedoctus constanter postea docuit, initium bonæ voluntatis à Fide proficisci, Fidem autem per Spiritûs Sancti Gratiâ Divinitus non minus, quàm opera inspirari; nam ideo illa ipsa loca, quæ citavimus, correxit retractando, siquidem illum, quem produximus, sibi proponens, *Quod credimus, nostrum est &c.* corrigendo subjungit, *Profecto non dicerem, si jam scirem, etiam Fidem ipsam inter DEI munera reperiri.* Et illum itidem à nobis adlegatum de bonâ voluntate, *Nostrum est credere & velle &c.* emendando corrigit hunc in modum: *Verum est quidem, sed eadem regula & utrumque ipsius est, quia ipse preparat voluntatem; & utrumque est nostrum, quia non fit, nisi volentibus nobis.* Vides hic, inquit *Iansenius*, apertissimè, ipsam etiam bene vivendi seu non peccandi voluntatem, qui adfectus moralis esse honestus videbatur *recentioribus*, apertissimè Divinæ Gratiæ retractando tribui. Quanto igitur magis alia quæcunque, quæ videntur opera esse bona, ad eandem illam Gratiâ sunt referenda, si illa initia exigua adjutorii Gratiæ Divinæ debent vindicari.

Et nunc sequitur *quartum* ex Augustino testimonium, quod in libro de *Spiritu & Literâ* legitur, à Bellarmino insigniter commendatum, circa cujus sensum post *Vasquezium* sequentia *Iansenius* observat. Hic locus, quem plerique putant præcipuum, nihil reverâ stringit, sed duobus modis solvi potest. *Primus* est, ut dicatur Augustinus ex quadam suppositione & concessione loqui, ut fieri solet inter disputandum; in quo genere non necessum est, id esse verum, quod adversario ex aliorum Sententia veritatis illustrandæ causâ concedimus. Quod ut evidentius pateat, sciendum est, in illo loco Augustinum disputare ex professo, totisque viribus adserere, in hoc Testamento Veteris ac Novi discrimen esse positum, quod *lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribatur, ut quod ibi foris secus terret, hic delet et intrinsecus.* Huic doctrinæ objiciebatur Apostoli locus, quo dicit ad Romanos, *Gentes naturaliter ea, quæ Legi sunt facere, habentes opus Legis scriptum in cordibus suis.* Sed respondet Augustinus *PRIMO* ex Sententia propria, atque probat, Apostolum loqui de gentibus jam credentibus atque justificatis, quæ proinde participes factæ sunt Novi Testamenti, dicunturque Legem facere naturaliter, non quod per naturam negata sit Gratiâ, sed potius per Gratiâ reparata sit natura, quæ Augustini sunt verba. Post hanc veram & propriam solutionem, cujus etiam meminit *Vasquezius*, nunc ad Examen non revocandæ, aliam subjicit Augustinus ex ulteriori annotatione *Iansenii*, etiam juxta propriam adversariorum, id est, Pelagianorum intelligentiam, qui locum illum solebant exponere de gentibus infidelibus, quas abundare putabant multis operibus verè bonis. Hoc igitur istius loci sensu adversariis concessio ostendit, nec inde perturbari discrimen utriusque Testamenti, quod toto inculcaverat libro. Nam quia opera illa sunt peccata, satis indicatur, non omninò delectum esse ex animo id, quod vi creationis erat impressum, & proinde adhuc per gratiam Novi Testamenti in cordibus istarum gentium per Renovationem esse scribendum id, quod non omninò vitiorum vetustate delectum est. Sic ergo isto sensu tota disputatio illa conditionalis esset, & ex suppositione, quæ non tanquam vera conceditur, sed ostenditur duntaxat non repugnare discrimini Veteris Testamenti ac Novi. Hujus rei causâ adductis prolixioribus verbis ex hoc libro subnectit *Iansenius*, juxta hunc igitur intelligendi modum, qui nonnullis placet, nihil omninò totus ille locus probat ad adserenda opera verè bona infidelium, cum non ex Augustini sensu, sed Pelagianorum ista concedantur omnia, quæ concessa nihil Augustini proposito repugnabant. Quæ solutio, si cui placet, per me licet, verbis enim Augustini conditionatis congruit satis; arbitror tamen, aliam totius loci veram esse solutionem, & constanti doctrinæ Augustini, quam, ut vidimus, alibi diversis tradit locis, consonantior. Respicit enim illam suam Doctrinam, quam tradit alibi contra Julianum, in opere verè & plenè bono spectanda esse duo, officium & finem, scribens, *officium est, quod faciendum est; finis vero, propter quod faciendum est.* Jam verò phrasis Ejus est, ut bonum & opus bonum vocet ipsum officium, seu id, quod faciendum est, hoc est, ut nos loquimur, ipsum actum materiale ex parte solius objecti consideratum, qui Lege præcipitur; idque non solum; quando talis actus etiam ex fine bonus est, sed tunc etiam quando ex fine malus est. Nam cum Julianus multa officia bona recensuisset, *operire nudum, liberare perichlitantem, egri vulnera fovere &c.* respondet Augustinus, *Quæro abs te, utrum hæc opera bona bene (quis) faciat, an male?* Ecce, subdit *Iansenius*, opera bona vocat officia

officia. Et mox clarius, *Si enim quamvis bona male tamen facit, negare non potes, eum peccare, qui male quodlibet facit.* Et iterum, *Sed quia eum non vis, cum facit ista, peccare, procul dubio dicturus es, & bona facit, & bene facit.* Et aliquandò ante, *Quidquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc fit &c.* Et rursus infra, *Possunt ergò aliqua fieri bona, non bene facientibus, à quibus fiunt;* de quibus mox dicit, *quod bonum non bene faciunt, & similia sæpius in eadem repetit Disputatione.* Ex hoc ergò sensu & phrasi, addit *Iansenius*, facile cuncta dissolvuntur objecta; vocat enim opera bona impiorum in vita impia, factaque secundum Justitiæ regulam meritis laudanda, non opera etiam ex parte finis bona, sed ipsa officia, quæ Lege præscribuntur, & à multis infidelibus maximèque Romanis sunt facta. Nam hinc est, quod scribit in eodem libro de Spiritu & Litera, *eos in impietate vita sue facere aliqua legis vel sapere;* item, *legitimum aliquid sentire & facere;* ut ita significaret, se de officiis bonis Lege præscriptis loqui, quæ propterea ibidem apertius vocat *quantulacunque Legis opera naturaliter iusta.* Hujusmodi ergò opera bona seu officia bona gentilium non necessariò erant omni ex parte etiam finis bona, ut propter ea dicat officia à finibus apertissimè discernens, & se de officiis tantùm bonis locutum esse significans, *Quamquam si discutiatur, quo fine fiant, vix inveniantur, que debitam Iustitiæ laudem defensionemque mereantur.* Nam quod dicit, *vix inveniri,* non significat, aliqua inveniri, sed operosissimam scrupulosissimamque quæstionem tunc adgredi nolens, à re controversa se abstinuit, quam postea latissimè conatus fuit tractare; modesto tamen verbo rei que difficultatem exprimente satis indicavit iis, qui doctrinam Eius imbibissent, se nulla infidelibus opera verè bona ex officio simul & fine constituere. Nam isto loquendi modo solent homines vulgò cum adversario disputantes de re, quam probare non potest, modeste dicere, *difficulus invenies argumentum, quò probas hoc.* Et Augustinus ipse in opere de *Libero Arbitrio* inducit Evodium de re certissimà dicentem, *Nescio, an nulla sit culpa, relicto incommutabili bono converti ad commutabilia.* Nam cum Augustinus premeret eum, quasi id reprehendentem, quod nesciret, inquit, *Ita dixi, nescio, an nulla sit culpa, ut intelligi voluerim, sine dubio culpam esse.*

Restat denique quintum ex opere de *Civitate DEI* testimonium, à Bellarmino quoque productum, ad quod *Iansenius* respondet, neminem suæ mentis meliorem esse interpretem posse, quam ipsummet Augustinum, qui seipsum ita explicet in eodem loco, ut mirum sit, ab homine docto hoc opponi potuisse. Docet enim ex professo & prolixissimè, virtutes Romanorum omnes humanæ laudi ægloriæ inferuisse, & idcirco non fuisse virtutes, sed vitia Virtutis imagine palliata, scribens inter alia, *Ista laudis aviditas & cupido gloriæ multa illa fecit miranda; laudabilia scilicet atque gloriosa secundum existimationem hominum.* Has Romanorum virtutes ex *Salustio* vocat artes bonas, quibus nitebantur ad finem Virtutis, id est, gloriam, honorem & Imperium. Unde intelligi potest, scribit, *quem Virtutis finem esse volebant, & quò eam referebant, qui boni erant, scilicet, ad honorem.* Quem Virtutis scopum ipsamque Virtutem improbens dicit statim, *Gloriam ergò, & honorem, & Imperium, quæ sibi exoptabant, & quò bonis Artibus pervenire nitebantur boni, non debet sequi Virtus, sed ipsa Virtutem.* Et paulò post, *Sanius videt, qui & amorem laudis vitium esse cognoscit.* De talibus ergò Romanorum Virtutibus seu bonis artibus pronuntiat consequenter Augustinus, id quod nunc objicitur pro bonis infidelium operibus: *Si Deus neque hanc eis terrenam excellentissimi Imperii gloriam concederet, non redderetur merces bonis eorum artibus, id est, virtutibus, quibus ad tantam pervenire nitebantur gloriam; de talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere videntur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait, Amen, dico vobis, perceperunt mercedem suam.* His verbis sequentem adponit glossam *Iansenius*, si nihil omninò adderet Augustinus, nisi ipsa hæc verba, ex quibus argumentum, quod objicitur, excerptum est, meritò debebant aliquem deterrere, ne locum illum ad Opera Romanorum bona detorqueret imaginanda, cum expressè dicat, *illos Artes bonas, hoc est, Virtutes, quibus excellentissimum concessit Imperium Deus, humane servasse Gloria, & idcirco Verbis Domini Salvatoris reprobatas esse.* Cum autem toto disputandi conatu adferat etiam, eas propter illam causam vera fuisse vitia, quam probabilitatis speciem hoc argumentum potest habere, ut Augustinus ibi putetur vera opera bona tribuisse in-

infidelibus. Talium ergo artium merces fuit phrasi CHRISTI, quam sequitur ibi & citat Augustinus, & quâ dixit de hominibus propter gloriam humanam operantibus, *Amen, dico vobis; receperunt mercedem suam.* Undè similiter adjicit de Romanis, *Sed his omnibus Artibus tanquam viâ verâ* (phrasis & sensus est Sallustii) *nisi sunt ad honores,* (En Romanæ Virtutis indolem & bonitatem!) *Imperium, gloriam, Honorati sunt in omnibus ferè gentibus, Imperii sui leges imposuerunt multis gentibus &c. Non est, quod de Summi & Veri Dei Iustitia conquerantur, perceperunt mercedem suam.* Ecce, cujus Virtutis merces fuit Imperium, nimirum aviditatis gloriæ; quæ si veræ Virtutis est actus, veram Virtutem etiam & verum opus bonum in infidelibus fuisse concedimus. Sed quoniam tanta est Dei Sapiencia, ut noverit officia bona discernere à fine, hinc Ejus bonitas novit temporalia etiam bona non nulla bonis talibus officiis retribuere, quantumvis alio sine temporali vitentur. Sic enim, quod æquè mirum est, obstetricibus etiam benefecit mentiendo benefacientibus. Nimirum Benevolentia, quæ in eodem facto fuit, non fallacia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis fuit remunerata.

Atque sic fecit satis *Iansenius* objectis à *Bellarmino* & *Suarezio* testimoniis ex August. no, hac cum clautulâ: *Hæc ut opinor satis perspicue declarant,* quàm sint inania, quæ pro bonis infidelium operibus ex Augustino adversus Augustinum proferuntur; neque enim sunt aliud, nisi testimonia quædam suis avulsalocis, quæ totam probandi vim habent ex minus perspectis Augustini phrasibus atque sensu, quæ quisquis ex accurata Ejus lectione doctrinæque serâ discussione paulò noverit familiarius, videt in omnibus mirabilem non solum doctrinæ totius, sed etiam locutionis consonantiam, nec sine magnâ absurditate loca paucula hinc inde corrala, in quibus nihil apertè dicitur contrarium, sed cæteris Ejus lucubrationibus collata prorsus consonant, totius Doctrinæ molli, quam apertissimè, sapissimè, constantissimèque tuitus est, opponi velut contraria. Quid enim iniquius, quàm Doctrinam manifestissimam omnibus concertandi viribus adfertam ex obcuris, inò re verâ consonantibus locis velle corrigere, & ad opiniones hujus temporis detorquere? Quod eò intolerabilius debet videri, quod non solum Discipuli, qui Augustinum sunt consecuti, Ejusque doctrinam defenderunt, sed adversarii etiam, à quibus est oppugnata, illam à se sic, quem ad modum explicuimus, intellectam esse declararunt, quod testimoniis *Prosperi* & *Fulgentii* ex una, ex alterâ autem parte *Juliani*, inter Pelagii sectatores primi, & *Cassiani*, Semipelagianorum antesignani confirmatur, additis non paucis, quæ ad majorem hujus Doctrinæ illustrationem contra *Suarezii* præsertim objectiones videbantur inservire, ex quibus aliqua in gratiam Veritatis adhuc sunt excerptenda.

Ita autem porrò *Iansenius*: Ad eludendam Augustini doctrinam, quâ Romanorum Philosophorum vel quorumcunque infidelium virtutes non veras Virtutes, sed vitia Virtutum specie palliata fuisse tradit, ludificationes quædam (ita loquor, scribit *Iansenius*, quia nullum in Augustino, sed in solâ cogitantium subtilitate habent fundamentum) sunt inventæ. Ajunt enim aliqui, (*Suarezius* iterum in margine notatur,) hoc ab Augustino dici, quia, inquiunt, nunquam possunt infideles pervenire ad statum moraliter necessarium, ut bonus aliquis habitus vel dispositio bona absolutum veræ Virtutis nomen mereatur. Ad hoc enim, ut explicant ipsi, non satis est, ut habitus sit remissus, sic enim potius erit dispositio, quàm habitus atque Virtus; sed ut sit valdè intensus & radicatus, quomodo non acquiritur, nisi per frequentiam actuum; itemque, ut in totâ materia alicujus virtutis operetur, vel in majori ejus parte, præsertim in arduâ & difficili materia, qualis perfectio Virtutum per multos actus continuatos acquiri debet, nec sine Gratia acquiri potest, multò minus secundum perfectionem quoad statum intrinsecum, qui omniam Virtutum connexionem postulat. Et ideo, *inquunt*, Julianum dicentem, posse infideles per arbitrium liberum esse misericordes, modestos, castos & sobrios, *reprehendit*, quia non adfectum solum, sed perfectionem Virtutis tribuebat illis. Hanc Augustinus negat infidelibus, non tamen adfectum omnem, inchoationemque Virtutis. Sed, ita respondet *Iansenius*, utrumque re verâ falsum est, purumque cogitationis humanæ figmentum, videlicet, quod & inchoationem adfectumque Virtutis tribuit infidelibus, & quod propter illas rationes iis negat perfectionem; utrum-

que enim ab Augustini mente remotissimum est, & in eodem ipso, qui citatur, loco subversum ab Augustino. Nam cum Virtutis perfectionem infidelibus negasset Julianus, inchoationem verò tribuisset, respondet Augustinus: *Cum Divinitus adjuratur homo, non tantum ad capeſſendam perfectionem adjuratur, quod ipse posuisti, utique volens intelligi, cum per se incipere sine Gratia, quod perficiat Gratia; sed potius, quod Apostolus loquitur, ut, qui in vobis bonum cepit opus, perficiat usque in finem. In quo enim vis boni, sicut loqueris, ad aliquid laudabile stimulis generosi cordis incitari, in hoc cum non vis in Domino, sed in arbitrio libero gloriari; atque sic priorem dare, ut retribuatur illi, eoque modo Gratia jam non sit Gratia, quia non est gratuita.* Subjungit Iansenius, Qui potuisset luculentius commentum sibi impositum refellere Augustinus, quo dicitur non negasse infidelibus omnem adfectum & inchoationem Virtutis; quod statim jugulat iterum, scribens: *Quid est ergo, quod secundum modum vestrum humane voluntatis effectum dona caelestia me credideras nuncupasse, tanquam voluntas hominis sine Gratia moveretur ad bonum,* (Ecce, adfectus & inchoatio Virtutis infima, quæ cogitari in voluntate potest, primus videlicet motus voluntatis ad bonum:) *ut ei debitus à Deo retribuatur adfectus, id est, perfectio, quæ sit re ipsâ sobrius & castus, sicut voluntas optabat? Itane oblitus fueras, nos cum Scripturâ dicere contra vos, PRAEPARATUR VOLUNTAS à DOMINO; vel, Quod in nobis operetur DEUS & velle? ô ingrati Gratia Dei! ô inimici Gratia Christi, & solo vocabulo Christiani!* Vide, obsecro, subdit iterum Iansenius, quantâ vehementia detestetur illas Virtutis inchoationes, quas Julianus tribuebat infidelibus, & ex ipso hoc loco recentiores Augustino incredibili inscitia, ut micissimè loquar, imponere non verentur. Undè concludens addit, *Non quia est illis bona voluntas, sed ut convertatur mala voluntas in bonam, orat pro eis Ecclesia;* quod statim ex Scripturâ probat.

Quod verò probat inde suarezius, aliquas ab Augustino Virtutes admitti in infidelibus, quia dicit, *ut cunque fiant, illis tamen deserviunt, ut minus puniantur in die iudicii;* dicendo enim, *ut cunque fiant,* planè intelligit, sive cum integrâ bonitate ex objecto & circumstantiis, sive cum aliquo defectu ex parte finis, indicans, utrumque modum esse possibilem. Sed hoc ipsum rursus aperte fallum est, scribit Iansenius, & Augustino in eodem, qui citatur, loco directè contrarium, sic enim loquitur: *Ad hoc eos in die iudicii cogitationes suæ descendunt, ut tolerabilius puniantur, quia naturâ aliter, quæ Legis sunt, ut cunque fecerunt, habentes scriptum in cordibus Legis opus, ut aliis non facerent, quod perpeti nolent.* Ubi manifestum est, scribit porro Iansenius, per illud, *ut cunque,* non duplicem faciendi modum indicari, sed cum totâ disputatione illâ sæpius & ex profecto duo distinguat in opere bono, officium & finem, seu opus quod fit, & finem propter quem fieri debet; per illud, *ut cunque,* indicat imperfectum præcepti implendi modum, videlicet solummodò, quantum ad officium, quod tribuit infidelibus, negans eis implendi modum, quantum ad finem, quod ipsemet verbis immediatè subjunctis explicat disertissimè, scribens, *Hoc peccantes, quod homines sine Fide non ad eum finem ista reverentur opera, ad quem referre debuerunt.* Ecce, adhuc pergit Iansenius, quomodo ut cunque tece- rint infideles opus Legis, ipsum videlicet officium faciendo; hoc tamen peccantes, quod veri finis omissione deliquerint.

Ex quo etiam illud commentum evanescit, quo putatur Augustinus propterea veras Virtutes infidelibus negare, quia non possint eas in statu perfecto, qui habitus radicationem perfectionemque postulat, sine Gratia comparare. Non enim solum mera est fabula, Augustino adfuta, quæ nihil in Ejus Scriptis habet fundamenti, sed ab Ejus mente prorsus aliena; utpotè quem vidimus nec primam Virtutis inchoationem vel adfectum velle eis tribuere, nec secundum Doctrinam ejus tribui posse, nisi ab eis, qui solo nomine Christiani sunt, ut ibidem loquitur Augustinus. Vera igitur ratio est, eaque ab Augustino locis sexcentis tradita est & inculcata, & in eodem loco sæpius repetita, (ut mirum omninò sit, res tam apertas hominem, scilicet Bellarminum, qui aliquid in Augustino legisse cupit videri, latere potuisse,) quæ non à perfectione Virtutis internâ per magnam habitus intensionem radicationemque, vel externâ, quæ vel in totâ Virtutis materia præsertim difficili & arduâ operetur, vel aliis Virtutibus connectatur, (quæ causæ ex Philosophia sunt concinnatæ, nec unquam ab Augustino vel leviter adumbratæ;) sed stabiliter atque unifor-

miter

miter ubique petitur ex defectu finis, quem omnis omninò vera Virtus sive perfectionis intensissimà, sive inchoatà; in quacunq; materia sive arduà, sive levi; sive sola fuerit, sive quibuscunq; Virtutibus nexa, debet omninò spectare. Finis enim ille non est alius, nisi verum bonum, hoc est, verus DEus, ad quem non solum actio supernaturalis, meritoria, ad æternam conferens Vitam, sed omnis omninò vere bona actio, hoc est, non mala, seu non peccatum, est referenda, & ita, ut hoc ipso, quo non referatur, sit peccatum, & Virtus, quæ illam facit, non Virtus, sed verum vitium, tanquam actionis malæ principium, vocari mereatur. Hoc probant pleraque, quæ supra de operibus ipso finis istius defectu vitiatis & malis sunt adlegata; perinde enim de Virtutibus ipsis, de quibus ex professo erat quoque Disputatio, quemadmodum de operibus loquitur Augustinus. Nam reddens rationem, cur nec Justitia, nec aliæ Virtutes ejus sociæ & comites esse possint in infidelibus, inquit, *quia cum non ad suum referantur Authorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti.* Et ex professo statim uberius illam explicans caulam scribit, *Non veris, non officiis, sed finibus Virtutes à vitiis esse discernendas; officium est autem, quod faciendum est, finis verò, propter quem faciendum est.* Et Virtutum vitia per operum malitiam declarando subjungit: *Cum facit homo aliquid, ubi non peccare videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Quod, ad hoc *Iansenius*, sicut Lumine Naturæ est manifestum, & in omnibus omninò uti operibus, ita & Virtutibus quamvis imperfectissimis habet locum; (quis enim dixerit, quod non propter hoc facere, propter quod homo facere debet, non sit peccatum?) ita statim explicat Augustinus, eundem illum finem, cujus defectu peccatum est, quidquid facimus, nec à Virtute ullo fluere potest pacto, esse unum solumque verum DEum, scribens, *Abst, ut Virtutes vere cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus, DEus Virtutum, converte nos!* Quid apertius, quid luculentius? Et rursùm enucleatius per omnes discurrendo Virtutum quarumcunq; plausibilem fines scribit: *Virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscunq; commodis & emolumentis temporalibus servantur, vera prorsus esse non possunt.* Ecce excludos penitus omnes omninò temporalium commodorum, voluptatum, divitiarum, honorum, laudis & gloriæ fines! *Quæ autem nulli rei servire nolunt, hoc est, quæ sibi ipsis servantur, quemadmodum virtutes Stoicorum, nec ipse sunt vere.* Vera quippe Virtutes Deo servantur in hominibus, à quo donantur hominibus; Deo servantur in Angelis, à quo donantur & Angelis. Cujusmodi igitur opus est, hæc interiteriterum *Iansenius*, quod ab illis Virtutibus proficiscitur, quæ sive aliis quibuscunq; bonis, sive sibi ipsis, sive nulli omninò alteri, sed sibi soli servantur, ut ex prole matrem ejus agnoscamus? Audi disertissimè: *Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera præcipit Sapiencia, etsi officio videatur bonum, ipso sine non recto peccatum est.* Adjicit causam, quia opus non potest esse bonum, nisi fluat à voluntate bona, tanquam arbore bona, per quam Augustinus semper intelligit ipsam volitionem seu propositum, quod est causa operum ab eo proficiscientium; virtutes autem non sunt aliud, nisi voluntates seu firma proposita rectè operandi. De tali igitur voluntate seu proposito consequenter subdit: *Abst, ut sit vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis vel in seipsa, non in Domino gloriatur.* Quæ sanè sola, ita finit hoc Responsum *Iansenius*, si nihil aliud ex Augustino haberemus, abundè sufficere deberent, ut intelligeremus, ex Ejus sensu nullam aliam posse veram esse Virtutem, nisi quæ servit DEO, hoc est, quæ opus suum refert ad hoc, ad quod debet referre, quæ illud refert ad DEum, quæ refert ad Illum, tanquam finem, quem vera Sapiencia præcipit, quæ gloriatur in Domino, & ut explicat in fine Disputationis illius, quæ operatur intentione Fidei bonæ, hoc est, ejus, quæ per dilectionem operatur; cujusmodi intentio & dilectio, & servitus veri DEI, & gloriatio in Domino non est aliud, nisi Pietas vera, & Religio, & cultus DEI, quorum nihil DEO sine Fide potest præstari, nulla enim re alia servitur DEO & colitur DEus, nisi dilectione. Nam quisquis aliò respicit in operando, non servit per hoc Deo, aut colit DEum, sed illud, quod intuetur operando, quod esse non potest nisi creatura.

Atque hæc *Iansenius* etiam contra Bellarmini aliquod responsum, contra quod Vasquezium quoque Sententiam dixisse vidimus supra; quæ ubi *Iansenius* ex aliis etiam Augustini Scriptis, nominatim ex Opere de Civitate Dei & Epistolis uberius deduxit, ut Doctòr Sanctus idem ubique & constanter docuisse sit manifestum, additis iterum *Prosperi*, quin & *Hieronimi ac Ambrosii* consentientibus testimoniis, hujus porrò Doctrinæ ab Augustino propositæ & acriter defensæ rationem petit ex natura Virtutis &

*eius fine*, contra notum errorem Juliani, quem Pelagianæ hæresis architectum, ipso scilicet Pelagio non excluso, vocat, docentis, *veram Virtutem præciso fine ex solo opere seu officio, quod fit, esse spectandam*, prolixè agens, his inter alia insertis: Ab hæc Sententia, quamvis immaniter à tramite Veritatis exorbitet, non multùm recedit opinio quorundam *Scholasticorum*, veram esse Virtutem arbitantium, quæ ordinatur ad aliquod bonum particulare, dummodò verum sit bonum, & referibile ad bonum universale. Hoc autem si verum est, profectò vera Virtus erit avarorum, ambitioforum, superbiorum & similibum pestium. Quis enim dubitet, pecuniam, honorem, laudem, excellentiam, omnia denique bona terrena, quæ creavit summa Bonitas, esse particularia & vera bona, & ad universale bonum posse retorqueri? Et tamen novimus, Avaritiam non aliud esse, nisi amorem pecuniæ; nec aliud Superbiam, nisi amorem excellentiæ, & sic de vitis cæteris omnibus, quæ non nisi vera sectantur bona. Non itaque sufficit, esse verum bonum, in quodammodo ferimur, ut aliquid Virtus sit, sed opus est, ut & ipse Amor veri boni sit bonus; multa enim vera bona amore non bono diliguntur. Hæc ubi iterùm pro more satis prolixè ex Augustino confirmavit, de Virtutibus ex Sententia Epicuri quoque & Stoicorum duce eodem Augustino agens, rediit ad Scholasticorum opinionem, *Suarezio* hic etiam notato ad marginem, dicentium, hæc Augustini doctrinam, quæ talem adpetendæ Virtutis voluntatem tradidit esse *superbiam*, simpliciter intellectam esse *incredibilem*, & ab Eius mente *alienam*, contra quos itidem pluribus ex aliis Augustini locis disputavit, hæc Epicurifis subjunctâ: Hæc, quæ in antecedentibus etiam inculcavit non parçè, si rectè fuerint intellecta, desinet mirari *Suarezii* Doctrinam Augustini, tanquam *incredibilem*, quæ docuit, Virtutes, cum ad se ipsas referuntur, nec expetuntur propter aliud, inflatas ac superbas esse; sed potius Doctrinæ profunditatem, soliditatem constantiamque mirabitur, nititur enim fundamentis Christianæ Religionis immobilibus per quorundam Christianorum Philosophiam labefactis, de ultimo boni fine, de officiis vitæ omnibus in eum retorquendis, de mansuetudine Creatoris dilectione ac transitoria creaturæ, de fruendo solo DEO utendisque creaturis; quæ omnia dum porrò ubertim exponit, & contra quasvis exceptiones & instantias ex eisdem Augustini fundamentis acriter defendit, atque nihil eorum intermittit, quæ ad hanc causam omni modo agendam & commendandam videbantur pertinere, quibus describendis vacare nunc non licet; sequentia tandem magni, ut vocat, momenti septem Corollaria ex principiis hæcenus traditis inferri, quibus hanc de Virtutibus gentilium doctrinam magnopere putavit illustrari, ostendens, intelligi nunc rationem, *primò*, cur Augustinus doceat, Virtutem non esse aliud, nisi amorem DEI, nimirum, quia Virtus non in officio, sed in finis amore sita sit, tanquam ex quo officium imperari, & ad quem intentione voluntatis debeat retorqueri. *Secundò*, cur ad omnem Virtutem, sicut ad opus bonum ex Augustini doctrina fides sit necessaria, eam enim istum amorem veluti finis necessariam intentionem ostendere, dirigere & firmare debere, ac pro Amore impetrando auxilium impetrare. *Tertiò*, cur doceat constantem nullam esse posse Virtutem sine verâ Religione, & cultu, & pietate in DEUM, quia Pleras, quæ unâ DEUS colitur, non aliud sit, nisi ipsissimus ille DEI amor, qui ipsa sit Virtus, fideque velut rectrice nitatur. *Quartò*, cur tantopere reprehendat illam divisionem Virtutum & adfectuum, per quos docebat Julianus, nos esse aut fructuosè aut steriliter bonos, hoc est, ut jam nonnulli docent Scholastici, & ipse Julianus explicabat, qui ad Vitam æternam consequendam prodesse aut non prodesse. *Quintò*, cur semper doceat, opus bonum ex Gratia CHRISTI necessariò debere fieri, & hoc ipso meritorium esse apud DEUM, de quo posteriori posthæc bono cum DEO agatur infra. *Sextò*, cur in laudato sæpius Opere contra Julianum scripserit, illud opus bonum esse, quod sine DEI Gratia, quæ datur per unum Mediatorem DEI & hominum, nemini possit conferri, per quod solum homo possit ad æternum DEI donum Regnumque perducere. *Septimò* denique, cur de operibus bonis disputans illas subindè adiciat limitationes; opus sicut oportet, opus Fidei, veræ Pietatis, Religionis, conducens ad Vitam æternam, ad Salutem, opus meritorium, Virtutis veræ, piæ, &c.

1. 4. c. 3.

His

His omnibus iterum expositis & ex Augustino sufficienter illustratis subnectit, Ista septem Corollaria hic breviter indicata volui, ut facies magnæ partis doctrinæ Augustini uno intuitu lectorum oculis subjiceretur & intelligetur, ex quibus principiis ista dogmata, quæ passim in Scriptis Ejus sunt obvia, penderent religata; quorum ignorantia factum est, ut Scholasticis altercantibus mirum in modum & plus, quam dici aut scribi potest, Augustini doctrina de Gratia, bonis operibus & Meritis obscurata sit & perturbata, dum certatim pro suo quisque genio & libertate & opinione comminiscitur nova figmenta, ut Ejus doctrinam ad suam aptet Sententiam & scopum, quorum nullum in Augustino vestigium potest reperiri. Nimirum, ne Philosophia Peripateticorum & Stoicorum de Virtutibus atque operibus bonis pessum iret, imprudenter à Viris doctis & bonis Augustino manus sunt injectæ, ut venerabilis canities doctrinæ Iptius, quæ post Annos septingentos aut octingentos per mortem Ejus pura & inviolata per manus & scripta Discipulorum tradebatur, novis interpretationibus in Ecclesia Christianâ ad illud usque tempus inauditis depravata loco cederet. Nimia quippe gentilium Philosophia sicut hæreses in impiis hominibus, ita opiniones doctrinæ Ecclesiasticæ periculosas læpè in viris bonis peperit, dum nesciunt pretiosum separare à vili, nec animadvertunt, in quo gentilium vanitas, alienata à vita DEI & cognitione veri finis boni, ex damnationis antiquæ pœnâ defecerit, & à luce Christianâ superetur.

Neque tandem prætermittit debet, quod idem *Iansenius* in sequenti discursu contra opinionem, quod *Semina Virtutum insint homini naturaliter*, inter & post alia monuit sub finem autoritate Augustini adductâ: Istiusmodi non tam semina Virtutum, quam *ruina* sunt, ex illâ primâ vâ hominis integritate superstitēs, quibus primùm Pelagiani atque Semipelagiani suam imposuerunt hæresin, easque postea Doctores Scholastici, non satis adtenti, quid in illo gentilium, verumque Virtutis finem ignorantium placito Doctrina Christiana per Augustini calamum explicata reprobasset, in Christianorum Scholas etiam induxerunt, non minimo Doctrinæ Ecclesiasticæ, prout eam Augustinus in omnibus suis Lucubrationibus constanter docuit, præjudicio. Nam hæretici illi seminibus istis Philosophicis Virtutes veras, vera opera bona, solâ voluntatis humanæ potestate proficisci posse, ideòque arbitrium hominis sine ullâ Christi gratia potens esse ad operandum bene & liberum tradiderunt. Quod quia constantissimæ doctrinæ Catholicæ Scholastici cernebant apertissimè repugnare, duplicem in uno homine hominem condiderunt, duplicem Fidem, duplicem Charitatem, duplices Virtutes, duplicia opera, una naturalia, altera supernaturalia, de quibus in universâ Augustini doctrinâ, vel ullo Gratia defensore antiquo, ullove Ecclesiæ Concilio nullum inveniri potest vestigium; sed sicut uno dato absurdo cætera addidunt, ita semel admisâ in veris Virtutibus definiendis humanæ Philosophiæ autoritate totam Augustini doctrinam de Virtutibus diametraliter eirepugnantem coacti sunt perturbare, & modis intolerandis ab Ejus mente detorquere, ne gravissimâ Iptius in hisce Quæstionibus autoritate premerentur. Quasi verò Augustinus non illas ipsas Virtutes, quas Philosophi & Scholastici vocant naturales, vitia propriè dicta nuncuparet; & non illa ipsa opera, quæ ipsi vocitant bona, Augustinus mala, peccata & ignibus puniendâ diceret; & consequenter non illam ipsam, quam ipsi ad bene agendum naturaliter adpellant libertatem, Augustinus captivitatem sub terrenâ cupiditate tanquam frutice diaboli definirer.

Hæc denique ubi Concilii etiam *Arausiacani* autoritate confirmavit, totam hanc Controversiam sequentibus verbis finivit *Iansenius*: Quæ etiam atque etiam ab iis considerari & suis momentis expendi velim, qui vel Augustinum, vel me in Ejus sensibus indagandis falli putant, ne fortè ipsi nimia Philosophiæ gentilium conlectatione fallantur. Nam illam Juliani Sententiam, quam tantâ severitate Augustinus proscriptit, non aliud esse, quam ipsissimam Philosophorum Sententiam, quâ veras Virtutes hominibus DEum verum ignorantibus tribuunt, quibus ipsam operum bonorum honestatem sectarentur, quamvis ad Vitam æternam essent inutiles, nimis perspicuum est ex iis, quæ deduximus. Videant igitur admiratores Philosophiæ, ne in hæc eorum doctrinâ adterendâ ipsi etiam periclitentur. Vinculum, quo natura rationalis

lis obstringitur DEO, ut ipsum diligit solum, nec quidquam, nisi propter Illum, à quo habet, ut sit, incomparabiliter strictius est, quàm Philosophia gentilis potuit suspicari. Vultus, quo cecidimus, à Philosophis ignoratum fuit, longèque altius insiditum, quàm non nulli Theologi Christiani putant. Argumenta eorum pro operibus bonis & Virtutibus infidelium sunt Philosophica, humana, ratiunculis subnixa levioribus, quàm ut eis Augustini & omnium antiquorum Gratia defensorum cedat autoritas: quorum hæc in re tantus est consensus, ut Episcopus *Roffensis* dicat, esse Sententiam omnium Patrum, etsi dissentiant Scholastici.

Atque hæc omnia prolixissimè *Iansenius* ex Augustino & pro Augustino contra *Bellarminum* & *Svarexium*, Pelagianorum, aut si mitissimè loquendum est, Semipelagianorum vestigia in commendandis gentilium infidelium virtutibus ac operibus suo quodam sensu bonis prementes; quæ tantò gratiora & acceptiora debent esse, quò majori contentione eandem Augustini Sententiam ante *Iansenium* defendit *Vasquezus*, maximi nominis Doctor inter suos, & post *Iansenium*, editasque Pontificum Romanorum contra Eundem Bullas, nuper demùm inter alios suscepit defendendam par nobile Scriptorum è recentioribus, *Franciscus* nimirum *Macedo*, & *Henricus de Noris*, uterque hæctenus non semel laudatus, non modò ad mutuum inter se, sed etiam ad plurimum aliorum ante se provocantes consensum, ea, quæ ex *Iansenio* hæctenus sunt adducta, etiam post Ejus in aliis Quæstionibus damnationem, in gratiam Augustini & Veritatis, quam sibi habuerunt præfixam, suo adprobantes & prolixè itidem confirmantes calculo. Non licet post *Vasquezii* & *Iansenii* responsiones, quibus *Bellarmini* & *Svarezii* exceptionibus & instantiis fecerunt ex asse satis, vitandæ prolixitatis causâ horum quoque observationes producere in medium, præsertim, quia idem ferè cum prioribus dicunt, verbis tantum immutatis; prætermittere tamen non possum, quò minus aliqua ex utroque breviter excerptam, quæ ad hujus Controversiæ circumstantias videntur pertinere quam maxime. Et Ille quidem, videlicet *Macedo*, priusquam in *Collationibus* suis Thomistico-Scoticis defensam à *Vasquezio* & *Iansenio* ex Augustini mente Sententiam uberius illustrandam & confirmandam suscepit, peculiarem delinavit tractationem Quæstionis de Mente *Scoti* circa necessitatem Gratia, quam laboravit conformem ostendere Augustini doctrinæ etiam quoad honestas cogitationes, quas impossibiles è Scoto docet per nudas Naturæ vires sine Luminis supernaturalis ope in hoc statu lapsæ naturæ; in Judicio post Augustini & *Scoti* comparationem, cujus non parvam putat esse pro Veritate momentum, addens, Sententiam hanc esse communem Sanctorum Patrum, & multis ac gravissimis probari Theologis, & indies magis invalescere in Scholis ac propagari, ac semper fore, ut brevi fiat communis & ab omnibus adprobetur, commendato inter recentiores *Abellio*, Episcopo Ruthenensi in Medulla, & *Basilio Poncio* in Relectionibus de Gratia; inter antiquiores *Gregorio Ariminensi*, quem fidelissimum & optimum Augustini discipulum ac interpretem vocat; inter medios *Caspere Casatio*, uno ex præstantissimis in Concilio Tridentino Patribus de tripartita Justitia, & ex postremis *Vasquezio*, de quo subnectit, Eum præter multos & præclaros Authores à se adductos totam Complutensem Scholam post se trahere, quæ quasi jure hæreditario *Vasquii* Doctrinam & meritò faciat suam, inque eà *Ludovicum Turrianum*, *Casparem Hurianum*, *Ferdinandum Salazarium*, *Didacum Alarcónem* &c. hoc insuper tandem responso ejusdem Episcopi de autoritate *Vasquezii* subnexo, Intuto est, qui cum *Vasquio* sentit. Post in sequentibus de ipsa Mente Augustini, circa necessitatem Gratia ad cogitationes æquæ ac actiones honestas, ex *Corrina Augustini*, quàm à se Parisiis editam testatur, prolixè iterum disputat, ubi quamvis à *Vasquezio* videatur dissentire aliquatenus, agnoscit tamen, posse de vocabulo tantum haberi hanc contentionem, dum *Vasquezus* auxilium, quod necessarium esse dicit ad opus verè bonum, vocat naturale, *Macedo* autem supernaturali, quod etiam ex Augustino prolixè contra *Vasquezium* satagit adstruere, in universum Judicio iterum interposito de nullitate bonitatis veræ in Virtutibus infidelium pronuntians, tam esse hanc Sententiam Augustini indubitam, ut adversarii quidam Augustini hujus ætatis eam graviter notent quasi suspectam, & ei moveant invidiam, inter quos nominat Parisiis olim sibi cognitos *Stephanum de Champs*, (quem antehac sub mutuatitio *Antoni Ricardi* nomine contra *Iansenium* scripsisse ex Bibliothecâ *Anti-Iansenianâ* constat;) *Adamum*, *Thomam Augustinum* & *Morainium* &c. ut ut eam esse verissimam tradiderint è numero Pontificum Romanorum *Innocentius* primus, *Zosimus*, *Cælestinus*, *Leo* primus, *Bonifacius* secundus, *Gregorius*

T. II.  
Collat. 10.  
pag. 168.  
& seqq.

gorius Magnus, & hæc ætate Alexander Septimus, & Clemens Decimus; ex serie Conciliorum quod vocatur *Diospolitianum*, & *Arausicanum* secundum, & Synodus *Byzacena*; ex ordine Patrum *Cyprianus*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, *Orosius*, *Vincentius* Lytinenfis, *Cyrillus* Alexandrinus, *Prosper* Aquitanus, *Isidorus* Hispalensis, *Petrus* Diaconus, *Fulgentius*, *Iulianus* Pomerius, *Bernhardus*, *Damasceus*, *Anselmus*; inter medios *Richardus* à S. Victore, *Gerfon*, *Abulensis*, *Alphonsus* à Castro, *Catharinus*, *Petrus* à Soto, *Alphonsus* *Virvesius*; inter Scholasticos *Alensis*, *Albertus* Magnus, *Gvilielmus* Antiodorensis, *Capreolus*, *Deza* ArchiEpiscopus Hispalensis, *Didacus* Alvarez, *Franciscus* Romanus, *Meratius*, *Ripalda*, *Pasqualigus* &c. Tantà mole authoritatis, inquit *Macedo*, tanto Scriptorum numero nititur hæc Sententia; propterea non possum non magnopere mirari, non nullos adversariorum audere illam vocare in Invidiam, quorum unus, *Georgius* *Rhodes*, ait, omnes alicujus notæ Theologos contra *Vesquezium* sentire.

Et dum non semel *Henrici* de *Noris* laborem in hujus Controversiæ discussione commendavit *Macedo*, idè ad ejus Spicilegium quoque breviter erit respiciendum. Is in *Vindiciis Augustinianis*, quas *Historia Pelagiana* & Dissertationi de *Synodo Quintâ Oecumenica* subjunxit, singularem instituit tractationem de *Quæstione*, An S. *Augustinus* disputans de *Virtutibus infidelium* excesserit? Ansam ei præbuerunt sequentia *Morainii* in *AntiJanenio* verba: *Cum Pelagiani nimis extollerent vires naturales liberi arbitrii, adfirmarentque sufficere sine Gratia non modò ad virtutes naturales quasunque, sed etiam ad Salutem, Augustinus, ut illos abducatur ab errore, in extremum contrarium esu disputationis abripi interdum videtur.* Sed, respondet *Vindex Augustinianus*, eundem hic *Censor* offendit lapidem; nam de *Virtutibus infidelium* non æstu disputationis impulsus disseruit *Sanctus Doctor*, sed ab adversariis in eam provocatus arenam libenter & animosè descendit. Etenim *Pelagiani*, ut probarent, posse hominem sine *Gratia Dei* pluribus floruisse *Virtutibus*. At probat *Augustinus*, *Virtutes infidelium* habuisse bonitatem tantum civilem, ac fuisse specietenus laudabiles apud homines. Undè cum de operibus infidelium tanto labore ac studio disputaverit cum *Pelagianis*, ac ibidem adversariis omnem subtilissimis argumentis præcluserit aditum, non æstu disputationis id protulit, sed post longam rei difficillimæ meditationem ac seriam totius *Quæstionis* considerationem. Duo autem *Sanctus Doctor* adseruit, *Primum*, nullas in infidelibus ex solius liberi arbitrii viribus *Virtutes* reperiri; *Alterum*, si quæ in eisdem fuerint *Virtutes*, easdem nequaquam ipsorum voluntati, sed *Divinæ Gratiæ* adscribendas esse. Scio, ita pergit *Vindex Augustinianus*, plerisque *Scholasticis*, quod *primum* attinet, ab *Augustini* *Sententia* recessisse. Illi autem juxta *Aristotelis* *Ethicam* de *Virtutibus* disputarunt, cum tamen *Philosophos* naturæ humanæ debilitas ex originali labe derivata latuerit, ac in *Summi Boni* cognitione longius à *Veritate* exorbitaverint. At *Augustinus* ex *Sacris Literis* nec non excellentiori ac subtiliori *Theologia* suam deduxit *Sententiam*; in eo verò *Sententiæ Augustiniæ* cardo versatur, quod *Virtutes* à vitis non officio, sed sine discernantur. Eadem ante hunc *Vindicem Augustinianum* scripsit *Janenius* de *Sententia Augustini*, & quia post *Janenium* idem *Vindex Augustinianus* scripsit eadem, adprobavit omninò *Janenii* laborem in exponendâ & defendendâ *Augustini* de *infidelium virtutibus* *Sententiæ*; de quâ post *Macedonem* in sequentibus etiam observat, malè *Maldonatum* adserere, *Synodum Tridentinam* damnasse *Sententiam Augustini*, provocans ad laudatum supra *Casaliū*, ut potè qui in opere citato de *Iustitia quadripartita*, *Tridentini* quindecim Annis post editum *Canonem* de operibus ante *Justificationem* factis composito, & *Sedis Romanæ* *Legatis* nuncupato, diffusissimè *Augustini* *Sententiam* propugnârit, ac *Patrum* & *Theologorum* tum *authoritate* tum *rationibus* confirmârit, his inter alia verbis usus: *De illo, quod semper Augustinus videtur docere, extra Fidem, extra cognitionem veri Dei, non reperiri aliquam Virtutem veram, quæ non sit vitium, quid dicendum? Quid inquam, dicendum est secundum Ejus & aliorum Doctorum sanctorum Sententiam? Quoad ipsum dicimus, Ipse quidem ita docuit, & quia verax erat, atque ex corde loquebatur, ita credidit. Nunc alii secus dicunt, sed seipfos sapientiores Augustino esse non ostendunt.* *Vindex Augustinianus* hanc subnectit *Epicurum*, sed non adeo rigoroſe de operibus *infidelium* *Sanctus Doctor* locutus est, nam aliquos quandoque *Virtutum* actus elicere eosdem concessit palam, quod in antecedentibus se putat demonstrasse, explicans videlicet *Bonitatem* earum civilem ac specietenus laudabilem.

Et quia

c. 4. §. 5.  
p. 114. &  
seqq.

Et quia ratio potissima Sententiæ hujus Augustinianæ nititur autoritate verborum Pauli, *Omne, quod non est ex Fide, peccatum est*, hinc Vindex Augustinianus sequenti quâdam Tractatione explicationem Augustinianam huic Controversiæ adplicatam contra eundem Morainium studet vindicare, sequentia Ejus contra Augustinum verba citans: *Perperam exponit Augustinus, quod Apostolus ait, omne, quod non est ex Fide, peccatum est, quasi velit Apostolus dicere, omnia infidelium opera esse peccata, & sine verâ Fide nullum posse fieri bonum opus; cum tamen ibi Sermo sit de eo, quod non fit ex dictamine Conscientiæ, judicantis bonâ fide licitum esse id, quod fit, ut ex ipso Textu liquet, & communis interpretatio Doctorum contradicit Augustino, qui aliquot etiam locis videtur hanc Adfertionem suam restringere ad opus bonum utile Vitæ æternæ consequendæ &c. Vtrumque tamen à vero sensu Apostoli loco citato planè alienum est.* Vindex Augustinianus exindè inprimis Morainii ignorantiam censet castigandam, quod eam interpretationem, quam Ecclesia inter lacras sequatur Ceremonias, à vero Apostoli sensu alienam planè non dubitaverit dicere, è Pontificali Romano adducens verba, quibus ex antiquo Ecclesiæ ritu Episcopus eos, qui Subdiaconi sunt consecrandi, ita inter alia adloquitur: *Estote tales, qui sacrificiis Divinis & Ecclesiæ Dei, hoc est, corpori Christi dignè valeatis servire, in verâ & Catholicâ fide fundati, quoniam, ut Apostolus ait, omne, quod non est ex Fide, peccatum est, schismaticum est, & extra unitatem Ecclesiæ est.* Vindex Augustinianus addit, Ecce Augustinianum interpretamentum Ecclesiæ Catholicæ adprobatione consecratum, & per univèrsum orbem orthodoxum ab Episcopis inter sacras ceremonias recitatum. Igitur una est Ecclesiæ & Augustini de illis Apostoli verbis Sententia, nempe, *ut de verâ Fide Christianâ intelligantur.* Videre jam mihi videor, novos Censores hæterere, ut ajunt, ad aquas. Si namque Ecclesiam Catholicam Apostoli textum dicant explicare peperam, jam vident, quàm gravi se piaculo obstringant. At si voces Ecclesiæ rejicere ducunt religioni, jam tandem Augustino Ecclesiastica autoritate coacti herbam porrigant. Nec mirum pergit Vindex, Ecclesiam Catholicam ita Apostoli verba intellexisse, eo enim prorsus modo Sedis Apostolicæ Pontifices eadem antiquitus sunt interpretati. Productis autem Leonis Magni & Bonifacii Secundi verbis, subjunxit porro autoritatem Synodi Byzacena, ut & Prosperi, Fulgentii, Isidori Hispanensis, Bernardi, Iuliani Pomerii, Facundi Hermianensis, & aliorum; addens, si Patrum suffragia numerentur, plus quam viginti Augustino in eadem Apostolici textus intelligentia consentire, cùm in alterâ interpretatione pauciores longè numerentur à recentioribus, nisi semetiplos pariter adjungant, à quibus tamen longo disjuncti sint intervallo. Et quamvis Possius, Vir satis suo nomine notus, in *Historia Pelagiana* conatus fuit interpretationem Augustini de fide cum alterâ de Conscientia componere, ut mens sit Apostoli, *Quidquid non provenit ex fide Christianâ per Conscientiam ad opus adplicata, illud peccatum censetur*; ait tamen Vindex, Augustinum nullis indigere interpretamentis. Neque audiendam esse dicit violentam Cornelii à Lapide interpretationem, ad hunc Pauli textum scribentis, *Augustinum cum suis rō, quod non est ex Fide, per univèrsam sic accipere, quasi dicat Apostolus, quod est ex infidelitate, vel, quod est contra fidem, quod ve sit ad cultum idoli, hoc esse peccatum; & quia putabat Augustinus, opera pleraque ab infidelibus fieri hoc sine, ad idolum scilicet colendum, hinc consequenter opera pleraque esse peccata putasse.* Etenim, inquit Vindex, Sanctus Pater ad Virtutem veram adeo necessariam esse putavit relationem in finem ultimum, ut neque Virtutes propter sui honestatem citra vitium expeti posse adfirmaverit, quod se suprâ probasse existimat.

lib. III.  
§. 3. th. 12.

Tandem illud non prætermitti debet, quod de Sententia Michaelis Baji habet Vindex Augustinianus, quem in Jansenio, vel hunc in illo, damnatū clamant Anti-Janseniani, Propositionem ejus vigesimam & sextam à plerisque, præcipuè autem à Svarezio (in margine addit Possivinum, intelligens Ejus Apparatum, ubi sub nomine Michaelis Baji integram Bullam Pontificiam errores continentem & perstringentem recenset) hoc recitari pacto: *Ad Pelagianismum rejicienda est illa Sententia, omnia infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia;* Turrianum quoque in Tractatu de erroribus Baji ad calcem Tomi de gratia scribere, *sic habere Bullas aliquot Romæ typis mandatas, & aliquot manu scriptas &c.* hæc subjunctâ Epictisi, *Mendose illam thesin sic describi.* Nam tantum abest, ut Pelagiani dixerint, omnia infidelium opera esse peccata, ut è contrario potius adfererent, infideles pleraque Virtutum opera elicere. Addit, Svarezium suspicari, in illâ Propositione hypotheticâ deesse negationem aliquam seu verbum negandi, nempe, *Ad Pelagianismum rejicienda est illa Sententia, non omnia*

omnia infidelium opera esse peccata, & Philosophorum virtutes non esse vitia. At Vasquezius, quod porro observat Vindex, ita recitat illam Propositionem, *Omnia infidelium opera sunt peccata &c.* & in eadem Bulla non semel edita Romæ contra Janfenium verba, *Ad Pelagianismum rejicienda est illa Sententia*, sunt omiffa. Addo, idem me observasse in *Veritate & Aequitate Censuræ Pontificiæ*, uti habet Inscriptio Operis, quod Anno hujus Seculi post quadragesimum nono Duaci ex Commentariis *Esthii & Sylvii* collectum & editum est, ubi itidem in hujus Articuli propositione hæc de Pelagianismo verba non sine caulâ fuerunt omiffa, ut potè ad Institutum minus pertinentia.

Et hæc tamen, nisi me fallunt omnia, sufficienter est ostensum, Augustini auctoritatem in Quæstione de infidelium operibus contra Bellarminum & plerosque Scholasticorum ex aliorum Veritati addictiorum Sententia à nostris stare partibus. Quamvis autem hæc omnia, quæ prolixissimè, non præter rem tamen, è Vasquezio, Iansenio, Macedone & Vindice Augustiniano sunt adducta, ad hominem disputata videri debeant, pleraque tamen, paucioribus saltem exceptis, ita sunt comparata, ut ad Augustini mentem ipsamque Veritatem Evangelicam proximè videantur accedere, adeòque sine prolixa exceptione sint recipienda in numerum testimoniorum Veritatis. Præcipuum forte, quod in controversiam posset venire, est Explicatio verborum Pauli, *omne, quod non est ex Fide, peccatum est*, quæ non una eademque apud omnes legitur Interpretes, antiquos pariter & recentiores, atque sic aliquatenus adhuc dubia. Verùm præter ea, quæ à citatis jam Scriptoribus ad mentem Augustini sunt adducta, huc pertinet, quod Lutherus etiam noster in eundem sensum intellexit ea, neque id uno in loco. Et Tomo quidem primo Operum Latinorum *Iene* editorum post Sermones duos de *triplici & duplici Iustitia* legitur Explicatio Loci è cap. 7. Ecclesiastis, *Non est justus in terrâ &c.* in qua paragraphus post decimum sextus ita habet: *Omne, quod non est ex Fide, peccatum est.* pag. 175. Quod Augustinus de Fide Christi intelligit, licet alii exponant de Conscientia. Veruntamen etiam fides Christi est Conscientia bona, sicut ait Petrus, *Conscientiæ bonæ interrogatio in Deum*, id est, quod in Deum benè confidit. Igitur, si opus extra Fidem non esset peccatum mortale, sequeretur, quod Paulus ibi propter veniale peccatum adeò laboraret; quod est falsum, cum sine veniali nullus possit vivere. Ergò omne, quod non est ex Fide, peccatum mortale est & damnabile, quia & contra Conscientiam est; Conscientiam, inquam, Fidei in Christum, quia non in fiducia Ejus operatur. Non enim credit, se placere Deo ad meritum, & tamen agit in tali infidelitate & Conscientia. In eodem Tomo habentur resolutiones Ejusdem super Propositionibus Lipsiæ disputatis emendatæ, in quibus leguntur sequentia: *Omne, quod non est ex Fide, peccatum est.* pag. 285. Quod Augustinus pro Regulâ habet. Quod autem dicunt, ibi Fidem pro Conscientia accipi, & Apostolum loqui de iis, qui contra Conscientiam operantur, quanquam hoc Augustinus repellit, tamen age, sit ita: Adhuc stat Sententia, Qui non habet Fidem in Christo, non habet conscientiam bonam erga Deum; Ergò vel non credit, vel dubitat, se placere DEO in operibus suis. Si dubitat, peccat contra Conscientiam, quia non credit firmiter, se Deo placere; quare agit, quod credit non bonum, & ita semper peccat. Sola autem Fides firmiter confidit, se Deo placere; & hæc Fide fit, ut placeamus Deo, quia Fides hæc verè de Deo sentit benè, ac pro Deo vero Eum habet, præsumens bona de Ipso, juxta illud Sapientiæ primo, *Sentite de Domino in Bonitate*. Impossibile enim est, hominem esse salvum, & bene vivere, nisi de Deo erga seipsum bene tentiat. Conferantur verba in Tomo operum secundo, Editionis ejusdem, quæ parti secundæ libri de *Votis Monasticis* in Eremito scripti mox sub initium inseruit, ostensus, pag. 485. & seqq. adversari ea Fidei, & non poenitebit opera. Et ne videatur hæc privata Lutheri fuisse ac peculiaris Sententia, lubet addere similia, quæ in libro *Concordiæ Ecclesiarum Augustinæ Confessioni* sicutius addictarum Symbolico ad mentem Augustini & Lutheri super iisdem Pauli verbis extant, eâ nimirum ejus parte, quæ ultimum ordine locum occupat, & solidam Repetitionem Articulorum illò adhuc, & utinam non hoc etiam tempore controversorum exhibet, ubi in Articulo de *Bonis operibus* non adeò procul ab initio leguntur sequentia: *Et si opera, quæ ad conservandam Disciplinam externam faciunt, (qualia etiam ab infidelibus & non ad Deum conversis hominibus sunt, & quidem requiruntur,) suam coràm Mundo laudem & dignitatem habent, & temporalibus quibusdam premiis in hoc Mundo ornantur à Deo; attamen cum non ex verâ Fide proficiantur, re verâ coràm Deo sunt peccata, hoc est, peccatis contaminata, & à Deo pro peccatis & immunditiâ reputantur, propter Naturæ humanæ corruptionem, & quia personarum Deo non est reconciliata.* Mala enim arbor



reum confidentem!) & non nullos ex Augustini discipulis (de Catholicis loquor, scribit *Neuserus*) id inficiari minimè. Quod igitur *Maldonatus* aliiq; idem dixerint, *tam grande flagitium esse non putarem*. Ita prius habet responsum ex concessis datum. Hic, id est, in posteriori ex propria hypothesi sic scribit: *Dixi, dato & non concessio, loqui Augustinum de Virtutibus purè humanis: cum certum sit, Eum facere verba de Christianis & Supernaturalibus*, in quem finem ultimam verborum partem ex laudato capite adducit. Utrobique autem manifestè mentem Augustini pervertit hic *Velitaris*, sive ex alienà, sive ex propria scribat hypothesi. Et quidem quæ ex alienà habet, Augustinum faciunt in regulas Grammatices impingentem. Si enim, *referri ad seipsas*, ex Augustini sensu idem est, ac *referri ad ipsius agentis bonum*, quod *Neuserus* audacter pronuntiat, debuit omnino aliter scribere Doctor Sanctus, nisi voluit videri Mentem occultasse suam, quam aliàs & alibi pluries clarè latis expressit, quod ipse Antagonista, utur invitus, vi Veritatis occultari nescià coactus debuit agnoscere. Estque præterea commentum in cerebro *Custodis Custodum*, (hoc enim titulo superbit *Anti Norisius*), somnolenti natum, apertissimè in Scriptis Augustini ex proprio, ut dixi, hostis testimonio Veritati contrarium, quasi Augustinus hæc verbis hoc tantùm voluerit, *ut plurimum hoc accidere*: cum ita hoc argumentum tractet Pater augustissimus, ut nemo non, qui verborum vim & virtutem consequentiæ attendit, agnoscere cogatur, universale pronuntiatum esse, nec pati illud ullam exceptionem aut limitationem. Memini quidem aliàs observatum esse, *Lemmata capitum* non adscribenda videri Augustino; negari tamen non potest, quod citato capitū legitur præscriptum, ita exhibere argumentum ejus, ut nihil in eo justè possit desiderari. Hoc autem si sit, non video, quâ ratione illius universalitas per citatam restrictionem debeat infringi, sine manifestâ Augustini, Scriptoris non obscuri, sed enucleatissimi injuria. Sed salva res est, patetque ex toto hoc responso sufficienter, Augustini Sententiam, prouti jacet, non displicituram *Neusero*, nisi Tridentina Synodus aliter decrevisset, in cujus Decreta dum juravit semel, non potuit, quin variè se verteret, ne Augustino contrarium docuisse videatur, aut Pontifex Romanus in *Bajo* id damnavisse, quod Doctor augustissimus contra Pelagianos constanter defendit. Non certè minoris momenti documentum est, quod ante Decisionem Tridentinam Augustini doctrina, posito, eam esse erroneam, non tamen ita grandis error *Anti Norisio* videtur, ac post eam; quo ipso ostendit, non adeò absurdam esse Sententiam, quam capite tertio antecedente exprobravit adversario, eandem Propositionem modo damnari ab Ecclesia, videlicet Romanâ, modo adprobari & definiri. Atque hæc dicta sint ad responsum prius. In posteriori impertinenter de toto adferitur, quod de alterâ tantum ejus parte verum est. Videlicet in posterioribus verbis Augustinus egit de *Virtutibus Christianorum*, in antecedentibus autem de *Virtutibus infidelium*, quod ex integro Textu patet. Nec videt præ studio contradicendi hic *Lector jubulatus*, quam nocens sit hoc responsum contra propriam hypothesin, si per legitimam urgeri debet, uti potest, consequentiam. Posito enim, quod ille vult, Augustino rem esse in toto hoc capite de *Virtutibus Christianorum*, quas, etiam cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, tunc quoque dicit *inflatas & superbas*, & ideo non Virtutes, sed vitia judicari debere; annon à majori ad minus, vel diverso subjecti & prædicati respectu, à minori ad majus licebit argumentari, Virtutes quoque gentilium ita censendas esse, & quidem eò magis, quòd plura defunt eis, quæ ad veram bonitatem necessariò requiruntur. Ut adeò hic Antagonista *Norisianus* cæco quodam impetu hanc susceperit pugnam, non attendens, se hosti præbere arma contra seipsum, adeòque errorem, quem conatus est defendere, proprio jugulare gladio, quod si ullibi, hic certè factum est. Quia verò non contentus fuit, hanc Augustini de *Virtutibus infidelium non Virtutibus* Sententiam in *Norisio* impugnasse, de qua tamen, quod insuper addendum, *Coqueus*, Ordinis Augustini quondam alumnus, in Commentariis ad laudatū Opus de *Civitate Dei*, & illum ipsum locum, de quo controvertitur, expressè monuit, ita perpetuò docere Augustinum, in infidelibus non fuisse veras Virtutes; sed insuper etiam conatus est illud Apostoli Oraculum infringere, quo, *quidquid non est ex Fide, peccatum dicitur*, ac Augustinus in defensione Rom. 14. hujus Sententiæ usus legitur, *Norisius* quoque ad eos Scriptores Ecclesiasticos provocavit, qui hæc Pauli verba in eodem Sensu adduxerunt, videamus breviter, quo successu id factum sit. Equidem negare non potuit, Augustinum, ut de aliis jam non dicam, de *Fide Divinâ* hunc exposuisse locum, sed addit, hoc ab ipso factū esse *nō data operâ*,

& ex professo hunc locum exponendo, sed ob alium finem, idque rectè & adpositè in rem suam, nec tamen sequi, proprium & literalem hunc esse sensum ejus, cum innumera penè loca Scripturæ in alio sensu à literali acceperit Augustinus, exempli gratia in opere de *Genesi ad literam*, in *Expositione Psalmorum & Commentariis in Iohannem*; de cætero, quotquot hanc Pauli Epistolam *Commentariis, Notis, Postillis & Adnotationibus* illustrarint, de *Dictamine rationis seu Iudicio practico* interpretatos esse hunc locum, quorum ex antiquorum & recentiorum numero prolixum recenlet Catalogum. Ut ad hoc prius respondeam, velle, *Anti Norisius*, quia *Prodromo Velitari* passus est subjungi *Commentationem Polemicam Francisci Macedonis* contra eundem Norisium pro *Vincencio Lirinensi*, simul etiam legisset ejusdem *Macedonis Collationes Thomistico-Scotisticas*, à me ipsâ hujus *Quæstionis tractatione* laudatus, in primis, quod ipsum hoc Apostoli oraculum attinet, utpotè qui *Norisii* laborem in ejus *Expositione* ita commendavit, ut magis commendare non potuerit, tot insuper *Scriptores*, antiquos pariter & recentes ad consensum vocans, ut, si numero sit certandum, non dubitem quin victoria penes *Norisium & Macedonem*, qui tamen postea ad hostium castra se contulit, sit futura. Sufficit autem, quia de Augustini autoritate agimus, adversarium agnoscere, quod is de *Divina Fide* locum intellexerit. Absurdum est verò, quod addit, id Eum non ex professo vel datâ egisse operâ. Quidquid enim sit de Operibus Augustini homileticis, in quibus Eum non semel à literali sensu discedere, notius est, quam ut ostendi debeat prolixius; hanc Pauli Sententiam tractat in *Scriptis non Homileticis, sed Polemicis*, in quibus *Scripturæ loca ad sensum literalem ex professo & datâ opera* tractari, nemo in iis versatus, vocabit in dubium. Et si *Lector Tubilarus* studiose legisset & evolvisset *Esseium*, ad quem provocavit, atque addidisset *Biblia Augustiniana*, non ita pridem edita *Parisis*, observare potuisset, Augustinum non semel tantum, sed octo vicibus diversis in suis Operibus partim *Didacticis*, partim *Polemicis* hæc *Apostoli verba*, & semper eodem sensu adduxisse, quoad ejus Mentem non dubiam, sed constantem fatis est. Nunc superpondii loco, testibus laudatæ Veritatis de *Virtutibus gentium non Virtutibus*, ex *Orationibus* in *Synodo Tridentina* habitis, quas ante hoc *Seculum Iansenius Gandavensis Lovanii*, nuper verò demum *Philippus Labbe Parisiis* cum augmento quodam edidit, lubet subjungere testimonium *Antonii Marinarii, Carmelitæ*, quod *Orationi ad Patres* conscriptos ordine & numero, quoad hanc *Collectionem quartæ*, post alia ad hoc argumentum pertinentia inseruit, hisce verbis: *Hominis priori tantum carnis natiuitate, ac cunctis præter DEI gratiam adherentibus ei presidii facti, quæcumque ratione prodierint opera bona, apud mortales fortè comperirent Iustitiæ locum, at apud DEUM, nimirum, qui ad ipsum fontem operum, nempe cor mundum inspicit, Iustitiæ laudem frustra sibi vindicabunt, quandoquidem sine Christi gratia omne cor est immundum. Ideo, omne bonum opus ab eo procedens, velut ejus immunditiam olens ac spirans, DEO, etsi nullis sempiternis aut presentibus Supplicis, quin imò temporalibus præmiis, non dicam æterni dignum esse potest. En Veritatis Evangelicæ testem, quamvis non sine omni fermento meriti, quod in illo tenebrarum regno ita obtinet, ut ubivis etiam Pani, qui Vita dicitur, adhæreat.*

conf.  
Hüll. in  
Aug. Conf.  
fess. Disp.  
16. pag. m.  
713. &  
1699.

Satis forsitan videbitur *Lectori Veritatis* studiose actum de hæc *Controversiæ*, & bonis, vel potius malis operibus infidelium, utpotè quæ impari censu veniunt apud *Doctores Ecclesiæ Romanæ*. nec idè ab omnibus *Judiciū* fertur de iisdem; sed nondum satis mihi quidè videtur, *Lector* amicissime, dum varios *Authores* evolvendo semper adhuc occurrit, quod observatis jam porrò, sed bonâ cum veniatur in legendo *Patientiæ*, non inutiliter potest subjungi, quatenus ad *Veritatis Evangel. pertinet* ex ore hostis *parrociniū*. Inter illos hic etiâ nominari meretur *Matthias Hauzerius, Ord. Francisci*, qui in *Epitomes Augustiniana Tomo posteriori* ad quartum Augustini libri contra *Julianum*, post *Iansenium*, & quidem *Romæ damnatū*, aliqua de hæc *Quæstione* scripsit, quæ omnino hic legi digna sunt. Postquâ enim vocavit *difficultatè gravissimâ*, utrum, aut quo sensu ex Augustini mente infidelium opera, & quidquid non ex *Fide* est *justificante*, ac per dilectionem operante, peccatum sint, virtutes autem *morales Philosophorum* non sint *Virtutes*; sed vitia; monuit, ab hæc *difficultate* plerosque potius seipfos, quam Augustinum leviter expedire, Eum potius excusando, quam interpretando, non de ipsius operibus infidelitatis, seu ex ipsâ infidelitate, vel de peccatis & vitiis improprie pro quibuslibet operibus inutilibus aut à fine suo deficientibus, & de *Virtutibus* (non) salutaribus, vel denique de omnibus tantum moraliter ac regulariter, aut de facto, non

p. 317. &  
1699.

non autem de omnibus absolute absque ulla exceptione, aut etiam de impossibilitate naturali. Sed ita suum interponit iudicium *Epitomator*, ut à suis audit, *Anatomicus* quamvis ex levis hinc inde conjecturis breviores Augustini Sententiæ aliquam harum ferre possent excusationum, videtur tamen hic (in Opere ad Julianum, ex quo prolixissime Sententiæ Augustini adduxit *Franciscanus*,) omnes excludere ac ex professo reprobare, seque ipsum inexcusabiliter interpretari de *necessitate alicujus saltem Fidei & actualis Gratiæ* ad operandum bene moraliter etiam, & ad cavendum in operando peccatum proprie dictum, atque ad veram Virtutis rationem. Hoc ubi prolixè ex Augustino ostendit, ac insuper docuit, quorsum inserviat, dum simul observavit, obitare videri Censuram contra Propositiones *Michaelis Baji* Romanam, non uno respondere modo conatus est, scribens *primò*, non obitare eam, quia sit relativa ad doctrinam Concilii Tridentini de præparatione & dispositione adultorum ad fidem habitualem & justificationem per opera bona Pœnitentiæ & aliarum Virtutum, quæ possunt dici adhuc opera & Virtutes infidelium, seu necdum per Fidem & Gratiam habitualementer justificatorum, non nisi tamen ex gratia actuali Fidei ac dilectionis DEI inchoatæ. *Secundò*, quia possit etiam esse relativa ad alios ejusdem Concilii Canones, videlicet, contra Justificationem imputativam per solam Fidem, ac præsumtionem de propria Justificatione & Prædestinatione; item contra reprobationem omnium operum humanorum, tanquam ex se peccatorum, etiam moralium, & contra errorem de peccato mortali solius infidelitatis. *Tertio*, quia quædam opera & Virtutes infidelium possunt etiam esse ex aliqua gratia &c. *Quartò*, quia possunt infideles ex inadvertentia, aut indeliberatione, multa interius ac exterius operari, quæ nec ipsis imputantur in peccatum, ita ut fortè tantum reprobetur, (si dicat quis,) motus etiam indeliberatos Concupiscentiæ infidelibus imputari ad peccatum. *Quintò*, quia Virtutes Philosophorum, imò & opera infidelium, possunt intelligi non secundum praxin eorum, sed doctrinam, secundum quam saltem aliquorum non essent vitia & peccata; quamvis fortè nec Doctrina illa Philosophica fuerit vera, nisi ex aliqua DEI Gratia, nec videtur contendere de quæstione facti, sed doctrinæ, vel potentia aut impotentia naturalis ad operandum bene sine peccato. *Sextò* tandem, quia, quando agitur de peccatis aut vitiis, considerantur ex genere suo seu objecto proprio, non autem ex circumstantiis; idèdque omnia opera & virtutes infidelium non sunt peccata & vitia, quia non sunt talia ex genere suo seu objecto proprio, imò nec ex vi talis subjecti aut etiam agentis, sed tantum ex aliis vitiosis circumstantiis, præcipuè finis ipsius agentis, aut etiam ex solo defectu finis ultimi. *Hactenus ille, & adhuc longè plura*, qui dum vultus est sibi præ cæteris novam invenisse viam, Augustini mentem ad liquidum deducendi, nec planè nihil vidit, quod alii præ cæcitate mentis videre nec potuerunt, nec voluerunt, ita tamen retorfit eam, ut quod unà præbuit manu, Augustinum sistens *Testem Veritatis Evangelicæ*, alterà iterum abstulerit, Eum, quod in Procemio Operis promissit, explicans ad normam Synodi Tridentinæ, atque, ut illud præstaret, non semel aberrans à Controversiæ statu, per earum hypotheson immixtionem, quæ partim ad hanc Quæstionem planè non pertinent, & quas in ventilatione hujus Quæstionis contra Pelagianos dudum exesse jussit Augustinus, ostendens, ex gr. non agi hic de *Gratiâ quâdam generali & naturali ac Fide quâcunque*, sed de Gratia ac Fide ad æternam Beatitudinem proximè directâ; partim verò ad petitiones principiorum referuntur, utpotè quod actiones infidelium *ex inadvertentia & indeliberatione* non imputari putat ad peccatum, confundens insuper *doctrinam cum Vita*, quin & excludens circumstantias ab ipsâ operationem malitia, & quæ sunt alia, quæ mentem Augustini in se satis clarâ obscurant non parùm, & quibus docuit *Epitomator*, quod Veritatem oculis in captivitate Tridentina præoccupatis fuerit intuitus, serenius eam intuiturus, si extra hoc ergastulum licuisset ad Solem solius Scripturæ eosdem ad tollere.